Quomodo Appianus in bellorum civilium libris II—V usus sit Asinii Pollionis historiis.

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate

Amplissimi Philosophorum Ordinis

in

Academia Georgia Augusta

ad summos in philosophia honores

rite capessendos

scripsit

Paul Bailleu.

Gottingae.

Typis expressit officina Hoferiana.

1874.

Primus, quantum videtur, Wiynnius in eo libro, quem de Appiani fide et auctoritate composuit, Appianum in secundo bellorum civilium libro multa ex Asinii Pollionis historiis deprompsisse ostendit (l. l. pag. 31), de libris III—V saltem suspicatus est (p. 60). Quam Wiynnii sententiam amplexus Eyssenhardtius eximie in eo labovavit, ut accuratissime doceret, quam saepe, quae in Appiano de bello civili inter Caesarem et Pompeium gesto leguntur, ab iis discrepent, quae ipse suis commentariis Caesar memoriae tradidit (vid. Jahnii Annales 1862, 758 sqq.). Et Peterus quidem in explorandis Plutarchi fontibus diligentissime ac felicissime versatus, et Appianum in libro secundo et Plutarchum in Caesaris Pompeique vitis scribendis compluria e Pollione hausisse demonstravit (Quibus fontibus Plutarchus in Romanorum vitis narrandis usus sit pag. 124 sqq.). [1])

Sed cum nec quantum historiarum Asinii Pollionis in librum suum secundum converterit Appianus, satis constet, nec quisquam etiamne in libris III—V e Pollione hauserit, umquam quaesierit, ut fontibus perspectis de fide et auctoritate Appiani, qui quanti sit ad illustranda bellorum civilium tempora momenti nemo ignorat, aliquid possit certius iudicari, denuo videtur quaerendum esse, quam late in Appiani bellorum civilium libris II—V historiarum Pollionis usus pa-

1) Cum iam absoluta esset haec dissertatio, C. Wachsmuth, vir doctissimus, benigne me monuit Gloedium (Die Glaubwürdigkeit Caesars in den Commentarien vom Bürgerkrieg pag. 7) App. II, 25—89 uno e Pollione hausta esse contendere seque alio loco demontraturum promittere.

teat. Quam rem priusquam aggrediamur, pauca de Pollionis vita, moribus, historiis praemittenda sunt. [1])

Natus anno urbis 679, C. Asinius Pollio, cum primum C. Catonis, triumvirorum amici, accusatione rempublicam capesseret, quamquam reum condemnare non poterat, animi fortidudine atque egregia dicendi arte summam sibi comparavit gloriam. Neque multo post in Caesaris familiaritatem receptus eique artissima animi applicatione coniunctus (Cic. ad fam. X, 31,3) cum Caesare Rubiconem traiecit Italiamque invasit (Plut. Caes. 32,5). Atque dum ipse Caesar Pompeianos in Hispania opprimit, Pollio, etsi, ut erat pacis libertatisque amicissimus (Cic. ad fam. l. l.), bellum civile sine summo animi dolore videre non poterat, cum Curione in Africam transvectus vix ipse perniciem, qua ille est obrutus, effugit (App. II, 45). Postquam anno sequenti Caesare duce in pugna Pharsalica interfuit (App. II, 82. Plut. Pomp. 72,3; Caes. 46,2), anno 707 Romam revertit et tribunus plebis creatus pro M. Antonio contra Dolabellam stabat (Plut. Ant. 9,1). Annis sequentibus cum et in Africa (Plut. Caes. 52,6) et in Hispania (Cic. ad Att. 12,38; 13,21. Suet. Caes. 55) cum Caesare contra Pompeianos feliciter pugnasset, ipse anno 710 Hispaniam ulteriorem provinciam administrans contra S. Pompeium rem male gessit (Dio Cassius 45,10). Caesare vero interfecto Pollio in altiore auctoritatis gradu positus est, quippe quem vel potius cuius legiones ut ad suam quisque causam perduceret partium duces magnopere eniterentur et laborarent. Pollio autem diu cunctatus, ne tum quidem idcirco ad Antonium, cum quo ei iam antea amici-

1) cf. Thorbecke „de Asinio Pollione", cuius eruditissimae disputationi novi quicquam addi non potest.

tiam fuisse vidimus, se adiungere decrevit, quod eius potissimum causam studio atque amore amplexus est; verum cum Pompeianos, quorum consilio et auctoritate Romae senatus regebatur, omnibus Caesarianis videret interitum minitari, necessitate quadam coactus in eius partes transgressus est, qui Caesari tamquam successisse putabatur (Cic. ad fam. X, 31—33. App. III, 81). Tum a novis triumviris in annum 714 consul designatus, pro Antonio, qui in Graeciam se contulerat, Galliae transpadanae aut Cisalpinae praeerat (App. IV, 12. Donat. Vit. Verg. §. 36. Serv. ad Verg. Ecl. II, 1). Frustra autem belli Perusini tempore L. Antonium ex obsidione eripere saepius conatus et, cum ipse in provincia sua a Caesare Octaviano premereretur, reditu demum Antonii liberatus tanta apud omnes floruit auctoritate, ut ab Antonii militibus eligeretur, qui cum Maecenate et Cocceio pacem inter Antonium et Caesarem Octavianum reconciliaret (App. V, 31—35; 64). Tum consulatu functus tam claras de Dalmatinis reportavit victorias, ut ei liceret triumphare (Horat. Od. II, 1,16). In sequenti autem bello civili non est versatus et „rogante Caesare, ut secum ad „bellum proficisceretur Actiacum: mea inquit in Anto„nium maiora merita sunt, illius in me beneficia no„tiora; itaque discrimini vestro me subtraham et ero „praeda victoris“ (Vell. II, 86 extr.).

Bellis civilibus peractis Pollio cum iam ad rempublicam non accederet, interdum quidem cum admiratione omnium causas dicens, ceterum liberalium artium studio in otio ac secessu summo opere deditus paene usque ad extremum Caesaris Augusti principatum duravit (Tacit. dial. d. orat. cap. 17).

Neque vero nunc Caesari, contra quem antea vi atque armis dimicaverat, pacem agitans desiit adversari,

ita ut ferocia eius paene in proverbii consuetudinem veniret (Tac. Annal. I, 12). Atque omnino, etiamsi sunt pauca, quae traduntur de Pollionis moribus, tamen nobis licet iudicare fuisse ei mores severos nedicam morosos urbanitatisque paullulum expertes (Senecae Suas. VI, 50) ac scriptorum eum censura functum esse non sine aliqua malignitate. Etenim res videtur dignissima memoratu: quodcunque eius de quodam scriptore iudicium memoriae proditum habeamus nulla re consistere alia nisi vituperatione. Sallustium quidem reprehendit, quod prisca verba nimium affectasset (Gell. N. A X, 26), Caesarem, quod commentarios parum diligenter parumque integra veritate composuisset (Suet. Caes. 56), Livium, quod Patavinitatem in eo deprehendisse sibi visus est. (Quinctil. I, 5, 56; VIII, 1, 3). In Plancum quidem, qui tamen et ipse pro Antonio contra Caesarem Octavianum arma tulerat, tam inimico erat animo, ut ne mortuum quidem persequi orationibus vellet desistere (Plinii hist. nat. praef. fin.) Omnium vero, qui tum et in litteris et in republica floruerunt, in Ciceronem unum insigni odio flagrasse Pollionem certissimis veterum dictis testatum habemus [1]), quem quidem non solum non recusasse contendebat, quin suas esse eiuraret orationes Philippicas, verum etiam, si per Antonium licuisset, paratum fuisse affirmabat, illis contrarias edere ac palam pro contione recitare (Senec. Suas. VI, 15). Quas ei satis multas fuisse cum doceamur inimicitias, amicitia videtur soli Antonio coniunctus fuisse.

Historiae autem Asinii Pollionis quamquam apud

---

1) „Infestissimus famae Ciceronis" Sen. Suas. VI, 14. cf. ibid. VI, 29 et 50. Quinctil. XII, 1,22.

veteres magna in auctoritate videntur fuisse [1]) tamen ita raro laudantur, ut cum opus illud 17 librorum fuisse ex Suida (s. v. *Ἀσίνιος*) comperiamus, unice tertius liber a Valerio Maximo memoretur (l. 1).

Testimoniis igitur amplioribus veterum destituti primum nihil aliud pro certo affirmare possumus, quam scripsisse Asinium Pollionem bellum civile inter Caesarem et Pompeium gestum inde a primo triumviratu (Suid. s. v. *Πωλίων*; Horat. II. Carm. I, 1); deinde cum historiis suis etiam Ciceronis caedis rerumque a Bruto et Cassio gestarum memoriam amplecteretur (Senecae Suas. VI, 24. Tacit. Annal IV, 34), summo iure eum possumus conicere bellum quoque, quod Antonius et Caesar Octavianus contra coniuratos gesserunt et quo bellum illud Pompeianum tamquam continuabatur, fortasse etiam bellum triumvirorum adversus S. Pompeium gestum scripsisse. Suspicari autem eum sequentium quoque temporum res memoriae prodidisse eo vetamur, quod et Suidas eum ait scripsisse *περὶ τοῦ ἐμφυλίου τῆς Ῥώμης πολέμου, ὃν ἐπολέμησαν Καῖσάρ τε καὶ Πομπήιος* (Suid. s. v. *Πωλίων*), nec ullum eius rei vestigium potest reperiri: nam locum illum, quo Asinius de Tiberio egisse a Prisciano traditur (VIII, 19) non tam ex historiis, quam ex oratione quadam sumptum esse verisimile est.

Quo vero tempore composuerit Pollio historias, cum solo Horatii carmine celeberrimo (II, 1) indicetur, initium illius carminis hic oportet afferri:

„Motum ex Metello consule civicum
„Bellique causas et vitia et modos,
„Ludumque Fortunae gravesque
„Principum amicitias et arma

---

1) Val. Max. VIII, 13: Non minima pars romani stili.

„Nondum expiatis uncta cruoribus,
„Periculosae plenum opus aleae
„Tractas et incedis per ignes,
„Suppositos cineri doloso.
„Insigne maestis praesidium reis
„Et consulenti, Pollio, curiae etc.

Quod cum carmen post proelium Actiacum scriptum esse alii contendant, alii negent, mihi quidem Westermannus (Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1838, 1262) persuasit, fieri non posse, ut debellato Antonio eompositum sit. Ac primum quidem si post proelium Actiacum carmen illud Horatius scripsisset, certe aliquam Caesaris Caesarisque victoriae mentionem inducere debebat. Deinde „historiae“ eo tempore „periculosae plenum opus aleae“ appellari poterant, quo vigentibus adhuc et Caesare et Antonio utrumcunque offendere periculosum erat. Regnante autem Caesare, quo tandem modo suadere potuit Horatius Pollioni: „cave ne Caesarem offendas“. Tum vix potuit Asinius debellato Antonio appellari „praesidium consulenti curiae,“ quoniam eum illo tempore nisi rarissime ad rempublicam non accessisse recordamur (supra pag. 5. Gruteri inscript. pag. 328 Nr. 1). Nec scio an iure Lübkerus (Commentar zu Horaz' Oden Buch 1—3, pag. 212) e toto carmine tempus redolere putet, quo gliscentibus adhuc discordiae civilis igniculis res ad summum discrimen vertere videatur. Quamobrem ante pugnam Actiacam et carmen illud Horatius et Pollio „historias“ scripsisse putandus est.

Jam vero cum ad fontes Appiani explorandos nihil sit maioris momenti, quam certo scire, quomodo ille auctoribus suis uti consuerit, ante omnia quam brevissime perlustrandum videtur, quid de ea re iudicaverint ii viri doctissimi, qui alios sibi Appiani libros ad per-

scrutandum elegerunt. Ac Nissenius quidem in praeclarissimo libro, quem de Livii fontibus egregia cum diligentia et insigni mentis acumine composuit, eam quasi quandam legem, qua omnes inferiores veterum historici ex uno eodemque fonte quam latissime possint sua haurire statuuntur, Appiano et Polybio collatis etiam in Appianum valere luculentissime ostendit (144 seqq). Nec minus, qui post Nissenium optime de Appiano meritus est, Hanakius in eandem disputavit sententiam (de Appiano eiusque fontibus pag. 40, 131 et aliis locis). Ac nuperrime quidem Jordanus in diligentissima et eruditissima dissertatione, quam de Appiani fontibus in bellis Mithridaticis enarrandis conscripsit, Appianum demonstravit fere unius Livii usum esse annalibus (pag. 29 et 111). Illam autem legem etiam in „bellis civilibus“ ab Appiano servatam esse facillime et clarissime patefiet, si quae de Caesaris rebus gestis tradidit Appianus cum Plutarcho comparaverimus.

Atque inter Appianum et Plutarchum in Caesaris gestis inde a consulatus petitione i. e. ab a. u. 694 narrandis maximas intercedere similitudines quis est qui non primo statim aspectu videat?

Cuius concordiae tanto manifestioris, quanto magis non rerum modo narratarum similitudine constat sed eorundem usu verborum, prima vestigia in iis deprehenduntur, quae uterque de Caesaris aere alieno creditoribusque memoriae prodidit (App. II, 8 et Plut. Caes. 11,1 *ἐνοχλοῦντες δανεισταί*). Deinde compara, quae eodem Appiani capite de Caesaris consulatus petitione narrantur, cum Plutarcho.

App. II, 8.	Plut. Caes. 13,1:
Ἐσέπεμπε τῇ βουλῇ δεόμενος ἐπιτρέψαι οἱ τὴν	*ἔπεμψε πρὸς τὴν σύγκλητον αἰτούμενος αὐτῷ δοθῆναι πα-*

παραγγελίαν ἀπόντι ποιήσασθαι διὰ τῶν φίλων,	*ραγγέλλειν εἰς ὑπατείαν ἀπόντι διὰ τῶν φίλων,*

et quomodo ei Cato adversatus sit

App. ibid.:	Plut. ibid.:
Κάτωνος ἀντιλέγοντος αὐτῷ καὶ τὴν ἡμέραν — ἀναλοῦντος ἐπὶ τοῖς λόγοις κτλ.	*Κάτωνος — ἐκκρούσαντος τῷ χρόνῳ τὸ πρᾶγμα καὶ τὴν ἡμέραν ἐν τῷ λέγειν διατρίψαντος κτλ.*

Quae quanta sit similitudo cum neminem fugiat, facile omnes concedent, inde a primi triumviratus tempore Appianum et Plutarchum eundem scriptorem secutos esse. Quod optime confirmatum videbimus, cum quae illud tempus sequuntur rerum narrationes comparaverimus. Ac primum quidem videamus, quomodo Caesarem, cum leges suas in senatu perferri posse desperaret, assistentibus Crasso et Pompeio ad populum confugisse tradunt:

App. II, 10.	Plut. Caes. 14,2.
ἐνισταμένων — τῇ γνώμῃ πολλῶν — ἐξέδραμε — ἐπὶ δὲ τῶν ἐμβόλων ἐδημηγόρει. Πομπήιόν τε ἐν μέσῳ καὶ Κράσσον ἠρώτα περὶ τῶν νόμων· οἱ δὲ αὐτοὺς ἐπῄνουν,	*ἐν τῇ βουλῇ τῶν καλῶν τε καὶ ἀγαθῶν ἀντικρουσάντων, — πρὸς τὸν δῆμον ἐξεπήδησε, καὶ περιστησάμενος ἔνθεν μὲν Κράσσον ἔνθεν δὲ Πομπήιον, ἠρώτησεν εἰ τοὺς νόμους ἐπαινοῖεν. ἐπαινεῖν δὲ φασκόντων κτλ.,*

deinde triumvirorum apud Lucam conventum factum: tot tantique viri ad Caesarem se applicaverunt:

App. II, 17.	Plut. Caes. 21,2.
ὡς ἑκατὸν μέν ποτε καὶ εἴκοσι ῥάβδους ἀμφ' αὐτὸν γενέσθαι, βουλευτὰς δὲ πλείους διακοσίων.	*ὥστε ῥαβδούχους μὲν ἑκατὸν εἴκοσι γενέσθαι, συγκλητικοὺς δὲ πλείονας ἢ διακοσιόυς.*

Optimum vero argumentum, quo praeterea nostri historici non rerum gestarum solum narrationes verum etiam morum et cuiuscunque modi descriptiones ex auctore suo expressisse convincuntur, ad rem nostram comprobandam iis suppeditatur verbis, quibus uterque infimae plebis dominationem moresque corruptos describit:

App. II, 19.	Plut. Caes. 28,3.
αἵ τε γὰρ ἀρχαὶ κατὰ στάσιν ἢ δωροδοκίαν σπουδῇ τε ἀδίκῳ καὶ λίθοις ἢ ξίφεσι καθίσταντο, καὶ τὸ δεκάζειν ἢ δωροδοκεῖν ἀναισχύντως τότε μάλιστα ἐπλεόνασεν, ὅτε δῆμος αὐτὸς ἔμμισθος ἐπὶ τὰς χειροτονίας ᾔει.	*οἱ μὲν ἀρχὰς μετιόντες ἐν μέσῳ θέμενοι τραπέζας ἐδέκαζον ἀναισχύντως τὰ πλήθη, κατῄει δ᾽ ὁ δῆμος ἔμμισθος, οὐ ψήφοις ὑπὲρ τοῦ δεδωκότος ἀλλὰ τόξοις καὶ ξίφεσι καὶ σφενδόναις ἁμιλλώμενος.*

Cui deplorandae reipublicae conditioni unum esse repertum remedium („*φάρμακον*“ apud utrumque), aiunt nonnulli:

App. ibid.	Plut. ibid.
ἐνσημαινόμενοι τὸν Πομπήιον.	*ὑποδηλοῦντες τὸν Πομπήιον.*

Quoniam vero, quo accuratius et fusius de rebus illis temporibus gestis disserunt Appianus et Plutarchus, eo frequentiores ac notabiliores fiunt similitudines, eos manifestum est auctorem suum plerumque verbum e verbo exprimere. Quam rem imprimis in ea, quae de causis primordiisque belli civilis inter Caesarem et Pompeium gesti narrant, valere comparatione facillime demonstratur. Marcellus consul cive Novi Comi, quam suam coloniam Caesar iure latino ornaverat, verberibus castigato insuper irrisit Caesarem:

App. II, 26.	Plut. Caes. 29,2.
τῶν Νεοκώμων τινά, ἄρχοντά τε αὐτοῖς γενόμενον καὶ παρὰ τοῦτο Ῥωμαῖον εἶναι νομιζόμενον, ὁ Μάρκελλος ἐφ' ὕβρει τοῦ Καίσαρος ἔξηνε ῥάβδοις ἐφ' ὅτῳδή, οὐ πασχόντων τοῦτο Ῥωμαίων· καὶ τὸν νοῦν ὑπ' ὀργῆς κατεκάλυπτε, τὰς πληγὰς εἶναι ξύμβολον ξενίας, καὶ φέρειν αὐτὰς ἐκέλευε καὶ δεικνύναι τῷ Καίσαρι.	*Μάρκελλος τῶν Νεοκώμων βουλευτῶν ἕνα εἰς Ῥώμην ἀφικόμενον ᾔκιστο ῥάβδοις, ἐπιλέγων ὡς ταῦτα τοῦ μὴ Ῥωμαῖον εἶναι παράσημα προστίθησιν αὐτῷ, καὶ δεικνύειν ἀπιόντα Καίσαρι ἐκέλευεν.*

Paullus a Caesare 1500 talentis, quibus postea basilicam Paullinam aedificavit, emptus est:

App. II, 26.	Plut. Caes. 29,3.
ὁ Καῖσαρ Παῦλλον χιλίων καὶ πεντακοσίων ταλάντων ἐπρίατο. — Παῦλος — τὴν Παύλου λεγομένην βασιλικὴν ἀπὸ τῶνδε τῶν χρημάτων ἀνέθηκε Ῥωμαίοις, οἰκοδόμημα περικαλλές.	*Καίσαρος Παύλῳ ὑπατεύοντι χίλια καὶ πεντακόσια τάλαντα δόντος, ἀφ' ὧν καὶ τὴν βασιλικὴν ἐκεῖνος, ὀνομαστὸν ἀνάθημα, τῇ ἀγορᾷ προσεκόσμησεν κτλ.*

Deinde lege, qui fuerit Curionis triumphus:

App. II, 27.	Plut Caes. 30,2.
παρέπεμψαν αὐτὸν ἀνθοβολοῦντες ὥςπερ ἀθλητήν,	*οἱ δὲ στεφάνους ἐπ' αὐτὸν ὥςπερ ἀθλητὴν ἀνθοβολοῦντες ἠφίεσαν,*

quomodo Caesar legionem Pompeio remiserit nummisque donaverit:

App. II, 29.	Plut. Caes. 29,3.
ὁ Καῖσαρ τὸ τέλος, τιμήσας ἕκαστον ἄνδρα δραχμαῖς πεντήκοντα καὶ διακοσίαις ἀπέπεμπεν,	ὁ Καῖσαρ ἀποπέμπει, δωρησάμενος ἕκαστον ἄνδρα πεντήκοντα καὶ διακοσίαις δραχμαῖς,

quae fuerint a Caesare propositae pacis conditiones.

App. II, 32.	Plut. Caes. 31,1.
ὁ Καῖσαρ — ἐκέλευε — συμβῆναι, τὰ μὲν ἄλλα αὐτὸν ἔθνη καὶ στρατόπεδα ἀποθήσεσθαι, μόνα δ' ἕξειν δύο τέλη καὶ τὴν Ἰλλυρίδα μετὰ τῆς ἐντὸς Ἄλπεων Γαλατίας, ἕως ὕπατος ἀποδειχθείη,	ὁ Καῖσαρ ἠξίου ἀφεὶς τἆλλα πάντα τὴν ἐντὸς Ἄλπεων καὶ τὸ Ἰλλυρικὸν μετὰ δυοῖν ταγμάτων αὐτῷ δοθῆναι, μέχρι οὗ τὴν δευτέραν ὑπατείαν μέτεισι,

denique quomodo tribuni plebis servorum vestibus induti ad Caesarem perfugerint.

App. II, 33.	Plut. Caes. 31,2.
οἵδε — λαθόντες ἐχώρουν ἐπὶ ὀχήματος μισθωτοῦ, θεραπόντων ἐσθῆτας ἐνδύντες. καὶ αὐτοὺς ἔτι ὧδε ἔχοντας ὁ Καῖσαρ ἐπεδείκνυ τῷ στρατῷ.	ὁ Καῖσαρ — ἐπιδεικνύμενος ἄνδρας ἐλλογίμους καὶ ἄρχοντας ἐπὶ μισθίων ζευγῶν πεφευγότας ἐν ἐσθῆσιν οἰκετικαῖς.

Imprimis vero ea narratio, qua uterque Caesarem Rubiconem traiecisse nuntiat, videtur notanda.

App. II, 35.	Plut. Caes. 32,5 et 6.
ὁ Καῖσαρ ἔστη τοῦ δρόμου καὶ ἐς τὸ ῥεῦμα ἀφορῶν περιεφέρετο τῇ γνώμῃ, λογιζόμενος ἕκαστα τῶν ἐσομένων κακῶν, εἰ τόνδε τὸν ποταμὸν σὺν ὅπλοις περάσειε. καὶ	ὁ Καῖσαρ, ἔσχετο δρόμου καὶ τὴν πορείαν ἐπιστήσας πολλὰ μὲν αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ διήνεγκε σιγῇ τὴν γνώμην ἐπ' ἀμφότερα μεταλαμβάνων καὶ τροπὰς

πρὸς τοὺς παρόντας εἶπεν ἀνενεγκών· „ἡ μὲν ἐπίσχεσις, ὦ φίλοι, τῆςδε τῆς περιβάσεως ἐμοὶ κακῶν ἄρξει, ἡ δὲ διάβασις πᾶσιν ἀνθρώποις.“ καὶ εἰπὼν οἷά τις ἔνθους ἐπέρα σὺν ὁρμῇ, τὸ κοινὸν τόδε ἐπειπών· „ὁ κύβος ἀνερρίφθω“.

ἔσχεν αὐτῷ τότε τὸ βούλευμα πλείστας, πολλὰ δὲ καὶ τῶν φίλων τοῖς παροῦσιν, ὧν ἦν καὶ Πωλίων Ἀσίνιος, συνδιηπόρησεν, ἀναλογιζόμενος ἡλίκων κακῶν ἄρξει πᾶσιν ἀνθρώποις ἡ διάβασις, ὅσον τε λόγον αὐτῆς τοῖς αὖθις ἀπολείψουσιν. τέλος δὲ μετὰ θυμοῦ τινος ὥςπερ ἀφεὶς ἑαυτὸν ἐκ τοῦ λογισμοῦ πρὸς τὸ μέλλον, καὶ τοῦτο δὴ τὸ κοινὸν τοῖς εἰς τύχας ἐμβαίνουσιν ἀπόρους καὶ τόλμας προοίμιον ὑπειπὼν „ἀνερρίφθω κύβος“ κτλ.

Atque sequentia quidem Appiani capita (II, 36—53), quamquam cum Plutarcho collata non tantas quantas adhuc reperimus prae se ferunt similitudines, tamen non carent locis, quibus hic quoque unum eundemque scriptores nostri auctorem quamvis obiter expressisse ostenduntur. Eodem modo e. g. apud utrumque narratur, quomodo Favonius Pompei iactationem exagitarit:

App. II, 37.

Φαώνιος Πομπήιον ἐπισκώπτων τοῦ ποτὲ λεχθέντος ὑπ᾽ αὐτοῦ, παρεκάλει τὴν γῆν πατάξαι τῷ ποδὶ καὶ τὰ στρατόπεδα ἐξ αὐτῆς ἀναγαγεῖν.

Plut. Caes. 33,4.

Φαώνιος Πομπήιον ἐκέλευε τῷ ποδὶ κτυπεῖν τὴν γῆν, ἐπεὶ μεγαληγορῶν ποτὲ πρὸς τὴν σύγκλητον οὐδὲν εἴα πολυπραγμονεῖν οὐδὲ φροντίζειν ἐκείνους τῆς ἐπὶ τὸν πόλεμον παρασκευῆς.

	αὐτὸς γάρ, ὅταν ἐπίῃ, κρούσας τὸ ἔδαφος τῷ ποδὶ στρατευμάτων ἐμπλήσειν τὴν Ἰταλίαν.

Sequenti autem Appiani capite Pompeius consules cum parte exercitus praemisisse dicitur:

App. II, 38.	Plut. Caes. 35,1.
Πομπήιος τῶν ἀμφ' αὐτὸν ἤδη τελῶν τὰ μὲν ἔδωκε τοῖς ὑπάτοις προαπάγειν ἐς Ἤπειρον ἐκ Βρεντεσίου, καὶ διέπλευσαν οἵδε αὐτίκα ἀσφαλῶς ἐς Δυρράχιον κτλ.	*Πομπήιος εἰς Βρεντέσιον φυγὼν τοὺς μὲν ὑπάτους πρότερον ἔστειλε μετὰ δυνάμεως εἰς Δυρράχιον κτλ.*

Tum uterque undecim dies dictatura Caesarem functum sese et Servilium Isauricum consules renuntiasse memorat:

App. II, 48.	Plut. Caes. 37,1.
Καῖσαρ ἄρξας ἐπὶ ἕνδεκα μόνας ἡμέρας — ὑπάτους ἐς τὸ μέλλον ἀπέφηνεν ἑαυτόν τε καὶ Σερουίλιον Ἰσαυρικόν.	*Καῖσαρ ἐν ἡμέραις ἕνδεκα τὴν μὲν μοναρχίαν ἀπειπάμενος, ὕπατον δ' ἀναδείξας ἑαυτὸν καὶ Σερουίλιον Ἰσαυρικόν, εἴχετο τῆς στρατείας.*

Cuius rarioris concordiae — nec tamen usquam Appianum et Plutarchum inter se discrepantes deprehendes — causam in eo omnes facile intelligent positam, quod quae Appianus duodevinginti capitibus (II, 36—53) fusius exponit, ea Plutarchus quinque solis capitibus (Caes. 33 - 37) pressius complectitur. Verum enim vero ubi uterque rursus coepit res diligentius atque abundantius narrare, eaedem statim quae antea similitudines frequentissime reperiuntur. Compara igi-

tur quo tempore et quibus cum copiis Caesarem in Graeciam traiecisse Appianus et Plutarchus memoriae prodant:

App. II, 54.	Plut. Caes. 37,2.
Καῖσαρ ἦγε πέντε πεζῶν τέλη καὶ ἱππέας λογάδας ἑξακοσίους. — χειμέριοι δ' ἦσαν τροπαί,	*Καῖσαρ ἱππεῖς ἔχων λογάδας ἑξακοσίους καὶ πέντε τάγματα, χειμῶνος ἐν τροπαῖς ὄντος κτλ.,*

tum celeberrimam illam narratiunculam, qua ipse Caesar, ut legiones in Italia relictas accerseret, servili habitu in navem conscendisse traditur:

App. II, 57.	Plut. Caes. 38,3.
Θαρρῶν ἴθι πρὸς τὸν κλύδωνα· Καίσαρα φέρεις καὶ τὴν Καίσαρας τύχην.	*ἴθι, γενναῖε, τόλμα, καὶ δέδιθι μηδέν· Καίσαρα φέρεις καὶ τὴν Καίσαρος τύχην συμπλέουσαν.*

Manifestissima vero Appiani et Plutarchi similitudo iis apparet comparatis, quae ambo de pugnis Dyrrhachinis narrant; lege, quae fuerit vox Caesaris:

App. II, 62.	Plut. Caes. 39,5.
σήμερον ἂν ὁ πόλεμος ἐξείργαστο τοῖς πολεμίοις, εἰ τὸν νικᾶν ἐπιστάμενον εἶχον.	*σήμερον ἂν ἡ νίκη παρὰ τοῖς πολεμίοις ἦν, εἰ τὸν νικῶντα εἶχον.* (cf. Pomp. 65,5.)

Prorsus congruenter uterque commemorat Pompeium regem regum et Agamemnonem nominatum esse:

App. II, 67.	Plut. Caes. 41,1.
Πομπήιον βασιλέα τε βασιλέων καὶ Ἀγαμέμνονα ἐκάλουν,	*Πομπήιον παρῴξυνον Ἀγαμέμνονα καὶ βασιλέα βασιλέων ἀποκαλοῦντες,* (cf. Pomp. 67,3),

Pompeianos de Caesaris pontificatu inter se certasse:

App. II, 69.	Plut. Caes. 42,2.
εἰσὶν οἳ καὶ περὶ τῆς Καίσαρος ἀρχιερωσύνης ἐς ἀλλήλους ἤδη διήριζον,	*ἐφιλονείκουν ὑπὲρ τῆς Καίσαρος ἀρχιερωσύνης,*

quae fuerint Caesaris et Pompei copiae (App. II, 70 — Plut. Caes. 42,2); eodem denique modo Pompeium victum primum in castra se recepisse, deinde fuga salutem petiisse scribunt:

App. II, 81.	Plut. Caes. 45,4.
Πομπήιος παρελθὼν ἐς τὴν σκηνὴν ἐκαθέζετο ἄναυδος ὑπὸ θεοβλαβείας,	*Πομπήιος ὑπὸ θεοῦ μάλιστα βλαπτομένῳ τὴν γνώμην ἐοικὼς ἄφθογγος ᾤχετο ἀπιὼν ἐπὶ τὴν σκηνήν, καὶ καθεζόμενος ἐκαραδόκει τὸ μέλλον* (cf. Pomp. 72,2),

et

App. II. 81.	Plut. Caes. 45,5.
Πομπήιος εἶπε „οὐκοῦν καὶ ἐπὶ τὸν χάρακα ἡμῶν"; καὶ εἰπὼν τὴν στολὴν ἐνήλλαξε.	*Πομπήιος φωνὴν ἀφεὶς „οὐκοῦν καὶ ἐπὶ τὴν παρεμβολήν"; ἀπεδύσατο μὲν τὴν ἐναγώνιον καὶ στρατηγικὴν ἐσθῆτα, φεύγοντι δὲ πρέπουσαν μεταλαβὼν ὑπεξῆλθε* (cf. Pomp. 72,2).

Neque vero si quas Appiani narratiunculas in Caesaris vita Plutarchea frustra quaesieris, idcirco Appianum alterum quoque rerum scriptorem inspexisse existimabis: maiorem enim earum partem cum in aliis Plutarchi vitis memoratam reperiamus, non iam Appianum illas ex altero fonte hausisse, verum Plutarchum illius auctoris, quem in vita Caesaris scribenda prope

unum sequitur, nonnulla ad alias sibi vitas seposuisse statuemus. Antonium igitur, cum e senatu pelleretur, execratum in eum esse et in Appiano et in Antonii vita Plutarchea legitur:

App. II, 33.	Plut. Ant. 5,6.
Ἀντώνιος ἐξέτρεχεν ἀρὰς βαρείας τοῖς τούτων αἰτίοις ἐπαρώμενος.	Ἀντώνιος πολλὰ αὐτοῖς ἐξιὼν ἐπηράσατο.

Plurima vero, quae in Caesaris vita desideraveris, in Pompei reperies. Et compara quidem, quae uterque de Curionis rogatione senatusque suffragiis memoriae prodiderit:

App. II, 30:	Plut. Pomp. 58,5.
Ἐπανερομένου τοῦ Κουρίωνος εἰ Καίσαρα καὶ Πομπήιον δοκεῖ τὰ ἐν χερσὶν ἀποθέσθαι, δύο μὲν καὶ εἴκοσιν ἀνδράσιν ἀπήρεσκε κτλ.,	Κουρίωνος μεταστῆναι κελεύσαντος, ὅσοις ἀμφοτέρους ἀρέσκει τὰ ὅπλα καταθέσθαι καὶ μηδέτερον ἄρχειν, Πομπηίῳ μὲν εἴκοσι καὶ δύο μόνον προσέθεντο κτλ.,

quomodo Pompeius exercitiis copias ad proelia praeparasse narretur:

App. II, 49:	Plut. Pomp 64,1.
Πομπήιος τὸν στρατὸν ἐγύμναζε, συντρέχων καὶ συνιππεύων καὶ παντὸς ἐξάρχων πόνου παρ' ἡλικίαν,	Πομπήιος τὴν πεζὴν ἐγύμναζεν — οὐκ ἀργός, ἀλλ' ὥςπερ ἀκμάζοντι χρώμενος αὑτῷ πρὸς τὰ γυμνάσια,

quod fuerit Afranii consilium optimum:

App. II, 65.	Plut. Pomp. 66,4.
Ἀφρανίῳ μὲν ἐδόκει τὸν πεζὸν αὐτὸν Πομπήιον ἄγειν	Ἀφράνιος ἀπεφαίνετο γνώμην ἔχεσθαι τῆς Ἰταλίας.

κατὰ σπου δὴν ἐπὶ τὴν Ἰταλίαν.	

Simillimae vero sunt Appiani et Plutarchi proelii ad Pharsalum commissi narrationes: uterque memorat, Pompeium nocte ea, quae pugnam antecedebat, somniantem Romae Veneri victrici templum dedicare sibi visum esse:

App. II, 69.	Plut. Pomp. 69,2.
Πομπήιος ὄναρ ἔφασκεν ἄρτι νεὼν ἐν Ῥώμῃ καθιεροῦν Ἀφροδίτῃ νικηφόρῳ,	*ἔδοξε κατὰ τοὺς ὕπνους Πομπήιος κοσμεῖν ἱερὸν Ἀφροδίτης νικηφόρου πολλοῖς λαφύροις,*

quae fuerit Caesaris ante proelium oratio habita:

App. II, 73.	Plut. Pomp. 68,4.
ἀντὶ λιμοῦ καὶ ἀπορίας ἀνδράσι μαχούμεθα,	*ἥκειν ἡμέραν, ἐν ᾗ πρὸς ἄνδρας, οὐ πρὸς λιμὸν οὐδὲ πενίαν μαχοῦνται,*

quid priusquam pugnam inciperent, Pompeius et Caesar et alii secum animis reputaverint:

App. II, 77.	Plut. Pomp. 70,2.
τὸ πλῆθος ᾤκτειρον, οὐδενός πω τοσοῦδε Ἰταλοῦ στρατοῦ ἐς ἕνα κίνδυνον συνελθόντος, καὶ τὴν ἀρετὴν ἐκκρίτων ὄντων ἑκατέρων ἠλέουν, —. ἐγγύς τε τοῦ κακοῦ γιγνομένοις αὐτοῖς ἡ μὲν ἐκκαίουσα καὶ τυφλοῦσα πάντας φιλοτιμία ἐσβέννυτο κτλ.,	*ὅπλα συγγενικὰ καὶ τάξεις ἀδελφαὶ καὶ κοινὰ σημεῖα καὶ μιᾶς πόλεως εὐανδρία τοσαύτη καὶ δύναμις αὐτὴ πρὸς ἑαυτὴν συνέπιπτεν, ἐπιδεικνυμένη τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν, ὡς ἐν πάθει γενομένη τυφλόν ἐστι καὶ μανιῶδες,*

quomodo Caesaris milites Pompeianorum ora vulnerare iussi, quae fieri dux vellet, perpetrent:

App. II, 78.

Καίσαρος τὸ σημεῖον τοῖς ἐφεδρεύουσιν ἄραντος, οἱ μὲν (οἱ τρισχίλιοι cap. 76) *ἐξαναστάντες ἐς τοὺς ἵππους ἐχώρουν, ὀρθοῖς ἄνω τοῖς δόρασιν ἐς τὰ πρόσωπα τύπτοντες τοὺς ἐπικαθημένους, οἱ δ' οὐκ ἐνεγκόντες αὐτῶν οὔτε τὴν ἀπόνοιαν οὔτε τὰς ἐπὶ στόμα καὶ κατ' ὀφθαλμοὺς πληγὰς ἔφευγον ἀκόσμως.*

Plut. Pomp. 71,4.

Καίσαρος σημεῖον ἄραντος αἱ ἐπιτεταγμέναι σπεῖραι πρὸς τὴν κύκλωσιν ἐκδραμοῦσαι, τρισχίλιοι ἄνδρες, ὑπαντιάζουσι τοὺς πολεμίους, καὶ παριστάμενοι καθ' ἵππων ὑψηλοῖς ἐχρῶντο τοῖς ὑσσοῖς, ἐφιέμενοι τῶν προσώπων. οἱ δ', ἅτε μάχης πάσης ἄπειροι, τοιαύτην δὲ μὴ προσδοκήσαντες μηδὲ προμαθόντες, οὐκ ἐτόλμων οὐδ' ἠνείχοντο τὰς πληγὰς ἐν ὄμμασι καὶ στόμασιν οὔσας, ἀλλὰ κτλ.

Pergentibus autem comparare Caesaris rerum gestarum in Appiano et Plutarcho exstantes narrationes manifestum fit Plutarchum pugna Pharsalica relata ab eo auctore, quem ad id locorum una cum Appiano secutus est, in Livium vertisse (cf. Caes. 47,1), quem, quo erat Pompeianorum favore, de Pompeio occiso uberrime tractantem sequi maluit. Qua de causa, cum Plutarchus in interitu Pompei narrando cum Dione Cassio, qui et ipse Livium expressit [1]), optime ac frequentissime consentiat, toto coelo distet ab Appiano, hunc licet conicere veteri auctori fidem servasse. Nam

1) Dionem Cassium in bello inter Caesarem et Pompeium gesto narrando imprimis Livium expressisse iam pridem ostendit Wilmansius de fontibus Dionis Cassii pag. 18, uberius nuper demonstraverunt Grasshofius, de fontibus Dionis (Bonn 1867) pag. 24 sqq. et Böttcherus de Dionis Cassii fontibus in bello civili inter P. et C. gesto narrando. Halberstadt. 1872.

eos certe fontes, quos rerum tum gestarum scriptorem maxime consentaneum fuit adire, bellum Alexandrinum, Africae, Hispanense, cum quibus quam maxime discrepet, non adiit. Prima autem tantae inter Appianum et Plutarchum concordiae vestigia, ut rursus ex uno scriptore pendere iudicandi sint, in belli Africani narrationibus deprehenduntur:

App. II, 95.	Plut. Caes. 52,6.
Καῖσαρ λέγεται παρὰ τὴν φυγὴν ἐγχρίμπτων ἅπασιν ἐπιστρέφειν αὐτούς, καί τινα τῶν τὰ μέγιστα σημεῖα, τοὺς ἀετούς, φερόντων τῇ ἑαυτοῦ χειρὶ περισπάσας μετενεγκεῖν ἀπὸ τῆς φυγῆς ἐς τὸ πρόσθεν.	*ἔστι δ' ὅτε καὶ καθ' ἑτέραν μάχην ἐπλεονέκτησαν οἱ πολέμιοι συμπλοκῆς γενομένης, ἐν ᾗ Καῖσαρ τὸν ἀετοφόρον φεύγοντα λέγεται κατασχὼν ἐκ τοῦ αὐχένος ἀναστρέψαι καὶ εἰπεῖν, „ἐνταῦθα εἰσὶν οἱ πολέμιοι.“*

Prorsus quidem congruenter unaque dissentientes a Dione (43,11) referunt, quomodo mortem sibi ipse Cato conscierit Uticensis (App. II, 98, 99 et Plut. Cat. min. 67—70); vide imprimis quae uterque Catonem paullo ante mortem dicentem facit:

App. II, 98.	Plut. 68,3.
Κάτων ἐξεβόησεν ὅτι προδιδοῖτο ὑπὸ τῶν οἰκείων τοῖς πολεμίοις.	*Κάτων ἐβόησεν ἤδη μέγα παραδίδοσθαι τῷ πολεμίῳ γυμνὸς ὑπὸ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ καὶ τῶν οἰκετῶν.*

In Caesaris vero vita ubi Plutarchus mentionem inducit Catonis occisi, non minus bene consentit cum Appiano: vide, quae de Catonis morte certior factus Caesar dixisse traditur:

App. II, 99.	Plut. Caes. 54,1.
ὁ Καῖσαρ ἔφη οἱ φθονῆσαι Κάτωνα καλῆς ἐπιδείξεως.	*εἶπεν ὁ Καῖσαρ, ὦ Κάτων, φθονῶ σοι τοῦ θανάτου, καὶ γὰρ σύ μοι τῆς σωτηρίας ἐφθόνησας.*

Et in fine huius narratiunculae uterque eodem modo libros Ciceronis et Caesaris pro Catone et in Catonem compositos commemorat:

App. II, 99.	Plut. Caes. 54,2—3.
Κικέρωνος ποιήσαντος ἐγκώμιον ἐς Κάτωνα καὶ ἐπιγράψαντος „Κάτων", ἀντέγραψε κατηγορίαν ὁ Καῖσαρ, καὶ ἐπέγραψεν „Ἀντικάτων".	*ἔγραψε Κικέρων ἐγκώμιον Κάτωνος, ὄνομα τῷ λόγῳ θέμενος Κάτωνα — ἔγραψεν ὁ Καῖσαρ πολλάς τινας κατὰ τοῦ Κάτωνος αἰτίας συναγαγών· τὸ δὲ βιβλίον Ἀντικάτων ἐπιγέγραπται.*

Porro optime consentiunt Appianus et Plutarchus in iis rebus scribendis, quae post reditum Caesaris Romae gestae sunt: in triumpho, ludis, ceteris narrandis. Imprimis videtur notandum esse, quae uterque de censu tum habito et scripserit et cogitaverit:

App. II, 102:	Plut. Caes. 55,3.
τὸ τοῦ δήμου πλῆθος ἀναγραψάμενος (ὁ Καῖσαρ), ἐς ἥμισυ λέγεται τῶν πρὸ τοῦδε τοῦ πολέμου γενομένων εὑρεῖν· ἐς τοσοῦτο καθεῖλεν ἡ τῶνδε φιλονεικία τὴν πόλιν.	*Γενομένων τιμήσεων ἀντὶ τῶν προτέρων δυοῖν καὶ τριάκοντα μυριάδων ἐξητάσθησαν αἱ πᾶσαι πεντεκαίδεκα. τηλικαύτην ἡ στάσις ἀπειργάσατο συμφορὰν καὶ τοσοῦτον ἀνάλωσε τοῦ δήμου μέρος.*

Et belli Hispaniensis eorum narrationes ex eodem

fonte fluxisse necesse est, quoniam, ceterum non discrepantes, Caesaris de victoria ad Mundam reportata eadem prorsus verba memorant:

App. II, 104.	Plut. Caes. 56,3.
ὁ Καῖσαρ εἶπεν, ὅτι πολλάκις μὲν ἀγωνίσαιτο περὶ νίκης, νῦν δὲ καὶ περὶ ψυχῆς.	*ὁ Καῖσαρ πρὸς τοὺς φίλους εἶπεν, ὡς πολλάκις μὲν ἀγωνίσαιτο περὶ νίκης, νῦν δὲ πρῶτον περὶ ψυχῆς.*

Quae vero Appianus de causis cur in odia optimatium incurrerit Caesar, de coniuratione, de caede ipsa memoriae tradidit, ea si cum tribus aliis rerum scriptoribus, qui pariter fusius res illas tractarunt (App. II, 106—117; Plut Caes. 57—66; Dio Cass. 44,1—19; Suet. 76—82) comparaveris, statim Appianum, ut assolet, cum Plutarcho plerumque consentire, cum Dione et Suetonio, qui et ipsi consentiunt, discrepare cognosces. Quod optime ea narratione illustratur, qua Caesar senatores se cum plurimis honorificentissimisque decretis adeuntes sedens excepisse traditur. Cum enim Plutarchus (Caes. 60,3) et Appianus (II, 107) pro rostris id accidisse consulesque senatores praeisse memorent, Dio (44,8) et Suetonius (78) nulla consulum mentione facta pro aede Veneris Genetricis Caesarem sedentem faciant, quoniam hoc ipsum etiam in Livii epit. 116 legitur, Suetonium et Dionem Livium expressisse, Appianum autem et Plutarchum ex usitato suo fonte hausisse iudicabimus. Nec tamen omittendum est, compluria occurrere in Plutarcho, quae neque in Appiano reperiantur, et omnino a fonte eius abhorrere videantur. Et imprimis memorabile cum cuique debeat videri, Ciceronis, cuius nisi quater (II, 14; 15; 36; 99) tota hac quam nunc perlustramus Appiani parte nulla

fiat mentio, tot facete dicta referri a Plutarcho (Caes. 57, 58), eadem si in Dione exstant (43, 46), Plutarchum possumus suspicari hic etiam Livium inspexisse. Quae coniectura eo plenissime comprobatur, quod paullo post ipse Plutarchus prodigia, quibus mors Caesaris portendi putabatur, se fatetur ex Livio exprompsisse. Verum etiam Suetonii narrationes cum haut raro Appiano et Plutarcho simillimas esse videamus (cf. App. II, 108 — Plut. Caes. 60, 61 — Suet. 79), illum quoque historicum coniciemus eundem scriptorem, quem Appianus et Plutarchus sequi solent, aliquando consuluisse.

Quae cum ita sint, si quae modo disputavimus, quam brevissime amplecti volumus, sic statuemus: ex una parte stare Appianum, ex altera Dionem, quorum hic ubique Livium, ille scriptorem suum unum exprimat; medium autem tenere Plutarchum et Suetonium, qui quidem et ex Appiani fonte et e Livio sua hauserint.

Sed quo propius accedimus ad Caesaris ipsam caedem, eo magis elucet illa, quam iam sexcenties inter Appianum et Plutarchum intercedere animadvertimus, conspicua ac perfecta similitudo. Compara igitur, quae nostri tradunt de Lepidi convivio (App. II, 115 — Plut. Caes. 63,4) et de D. Bruto (App. ibid. — Plut. 64,2). Praecipue vero notandum est, quomodo Appianus et Plutarchus Caesarem ante caedem, ut caveret, praemonitum esse narrent (App. II, 116 — Plut. Caes. 65). Appianus igitur Artemidorum ait voluisse quidem Caesarem de coniuratorum consiliis certiorem facere, in curiam autem ingressum interemptum iam reperisse. Alterum vero libellum, quo coniuratio patefacta esset, Caesari curiam intranti tradidisse: eum librum in manibus occisi inventum esse. Plutarchus autem Caesarem narrat accepisse quidem libellum ab

Artemidoro nec tamen legisse; quosdam autem auctores esse alterum illum libellum Caesari tradidisse, Artemidorum autem Caesarem adire non potuisse.

Duas hic in Plutarcho exstare narrationes etiamsi putat Peterus (de fontibus Plutarchi pag. 128), quarum alteram solam exhibeat Appianus, tamen non tanta hoc loco est scriptorum diversitas, ut considerantibus, qua levitate cum Plutarchus tum Appianus [1]) auctores suos expresserint, illae narrationes non ex eodem fonte fluxisse videantur. Pulcherrime autem historici nostri inter sese consentiunt et prorsus dissentiunt cum Dione et Suetonio in ipsa caede narranda: cum non commemorent celeberrimam illam vocem „καὶ σὺ τέκνον" (Dio 44,19 et Suet. 82), Caesarem accepta plaga Bruti toga caput obvolvisse testantur.

Jam vero cum mente ac cogitatione complectamur, quam sit quoquo modo conspicua et ex omnibus partibus absoluta atque usque in eorundem usum verborum diffusa inter Appianum et Plutarchum concordia, ita ut non res modo narrantes verum etiam rationes cogitationesque referentes ex auctore suo toti pendeant, simulque reputantes, eos qui duos pluresve scriptores coagmentare conati sint, Diodorum dico et ipsum Livium, prope magis secum ipsos quam cum aliis pugnare, cuius rei nulla in Appiano vestigia deprehendes, Appianum in rebus Caesaris inde a triumviratu usque ad caedem narrandis (II, 8—117), nullo alio inspecto scriptorem unum ubique expressisse statuemus.

At semel Appianus Caesarem testem laudat: nam cum Pompei quoddam militare consilium a nonnullis

---

1) Nissen, (de Livii fontibus pag. 115): „Appian muss mit einer enormen Flüchtigkeit gearbeitet haben.

laudatum esse memoret, sic pergit: „ὁ δὲ Καῖσαρ ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς καταμέμφεται“ (II, 79). Nihil hoc quidem ad infringendum iudicium modo prolatum: nam cum eodem loco, iisdem verbis, et a Plutarcho Caesarem videamus testem proferri (Plut. Caes. 44,4 et Pomp. 69,5), Appianum non ex Caesaris aut commentariis (bell. civ. III, 92) aut epistola quadam eruisse, sed in scriptore suo invenisse illud Caesaris dictum quis infitiabitur? Immo res est gravissima memoratuque dignissima: Appianum ne ipsius quidem, cuius tam abundanter res narraverit, Caesaris commentarios ad scribendum opus suum adhibuisse. En habes illam, quam paene in proverbium abiisse ait novissimus Appiani iudex, levitatem (Hesselbarthius, de pugna Cannensi, Gottingae 1874, pag. 24)!

Atque eodem quidem modo alia quaedam res videtur explicanda: nam si Appianum et Plutarchum in Catonis morte narranda optime consentientes animadvertimus (vide supra pag. 21 sqq.), quoniam Plutarchum per Thraseam ex Munatio, familiari Catonis, sua hausisse satis constat (Plut. Cat. min. 25,1; 37,1) non ipsum Appianum verum auctorem eius Munatium inspexisse iudicabimus.

Ne vero Appianum, cum quibusdam locis de compluribus rerum scriptoribus verba faciat (οἱ τὰ πιθανώτατα γράφοντες), revera complures consuluisse opinere: primo enim loco, quo de copiarum Caesaris et Pompei numeris agitur, cum eosdem solos Appianus exhibeat ac Plutarchus, necesse est eum illum, quem hic ubique, unum auctorem secutum esse. (App. II, 70 — Plut. Caes. 42,2). Altero autem loco, ubi qui fuerit numerus Pompeianorum in pugna Pharsalica occisorum, dubitatur, quamquam alios alium numerum pro-

ferre ait, tamen eodem scriptore quo Plutarchus usus eundem numerum tradit. (App. II, 82 — Plut. Caes. 46,2).

Jam vero necesse est quaeramus, qui tandem fuerit ille historicus, quem tanti aestimabat Appianus, ut eum sibi solum auctorem eligeret.

Atque unum quidem rerum scriptorem in omnibus quae nunc complectimur capitibus (II, 8—117) Appianus nominatim testem profert. Eo enim ipso loco, de quo modo disputavimus (II, 82), Pompeianorum interemptorum numerum referens, *οἱ μέν*, ait, *ἐπαίροντές φασι διςμυρίους ἐπὶ πεντακιςχιλίοις*, *Ἀσίνιος δὲ Πωλίων*, *ὑπὸ Καίσαρι τῆς μάχης ἐκείνης στρατηγῶν, ἑξακιςχιλίους ἀναγράφει κτλ.* Ex quo cum iam sit verisimile, nostrum Pollionem eum ipsum esse scriptorem, ex quo solo ubique pendeat Appianus, altero loco inspecto hoc iam manifestum omnisque dubii expers apparebit. Nam si recordamur Plutarchum in narratione illa, qua Caesarem Rubiconem transisse ita describit, ut optime omnibusque numeris cum Appiano consentiat (Plut. Caes. 32,5; App. II, 35 supra pag. 13), ex omnibus Caesaris amicis, quos celeberrimo illi spectaculo affuisse memorat, solum Asinium Pollionem nominatim et tamquam testem proferre, quid erit causae, cur Appianum eum auctorem, quem gravissimas res, Rubiconis traiectum proeliumque Pharsalicum narrans sine dubio sequitur unumque testem laudat, etiam in ceteris Caesaris rebus scribendis unum expressisse non statuamus? praesertim cum ex uno eum fonte haurire satis luculenter demonstratum teneamus.

Quamvis firmiter autem stabilitum arbitremur, ex Asinio Pollione sua exprompsisse omnia (II, 8—117) Appianum, tamen alio quodam ratiocinandi modo instituto in eandem disputare pergemus sententiam.

Nam cum ex Horatio (Carm. II, 1,1 supra pag. 7) id imprimis doceamur, Pollionis historias inde a primo triumviratu ordiri, quoniam Appianus et Plutarchus in rebus inde ab illo ipso tempore narrandis mirifice quantum inter se consentire coeperunt, idem esse initium historiarum Pollionis, idem concordiae inter Appianum et Plutarchum, casu accidere quis existimabit? Si vero Pollio historias suas inde a triumviratu voluit initium capere, ideo certe hoc fecisse putandus est, quod triumviratum stirpem ac semen fuisse bellorum civilium iudicabat: iam idem iudicium, ab Appiano omissum, a Plutarcho relatum ac confirmatum habemus: *οὐχ ὡς οἱ πλεῖστοι νομίζουσιν ἡ Καίσαρος καὶ Πομπηίου διαφορὰ τοὺς ἐμφυλίους ἀπειργάσατο πολέμους, ἀλλὰ μᾶλλον ἡ φιλία.* (Caes. 13,8.)

Nec minus bene, quae de ratione quae inter Pollionem et Caesarem intercedebat traduntur, ea nostrae suffragantur sententiae. Licet igitur Pollio amicus fuerit Caesaris bellique civilis eo duce particeps, tamen nescio quo casu dissui coepta est illa familiaritas, ita ut nec Caesar in commentariis umquam mentionem faceret Pollionis, et ipse Caesarem Pollio parum veridicum fuisse accusaret. Ac neminem quidem, qui Appianum perlustraverit, auctorem eius fugiet quamvis pro Caesare contra Pompeium senatumque sentientem tamen nonnulla memoriae prodere, quae Caesari minus honorifica in commentariis frustra quaeruntur. Ac primum quidem auctor Appiani de Caesaris consiliis optime instructus belli civilis causam negat illum fuisse, quem potius omni modo paci servandae studuisse memorat (25 et 32), verum omnem luctuosissimi illius belli culpam confert in adversarios eius, imprimis in Marcellum (cap. 30 et 31), senatumque de Caesaris itinere factum certiorem tandem ait ab invidia ad me-

lius consilium convertisse (II, 36). Quo in Caesaris favore etiamsi Appiani auctor perseverat usque ad caedem eius, cuius causam magis in invidia coniuratorum positam putat, quam in desiderio veteris reipublicae (II, 111), tamen non ita favet Caesari, ut historiae veritatem velit obscurari. Immo in Appiano legimus, id quod ab ipso Caesare in commentariis celamur, Caesarem sancto aerario potitum esse tribunumque plebis, cum resisteret, vi amovisse (II, 41. Plut. Caes. 35,4. Pomp. 62,1). In pugna autem Dyrrhachina Caesarem vix mortis periculum ab ipsius quodam milite intentatum effugisse solus tradidit Pollio (App. II, 62 — Plut. Caes. 39,4).

Neque vero est cur, cum bellum ipsius Caesaris in Hispania contra Pompei legatos gestum duobus capitibus absolvi videamus (42 et 43), a Curione in Africa infelicissime gesta fusius tractari ab Appiano miremur. (II, 40; 44—46.) Nam quoniam ipse in eo bello haut mediocriter versatus est Pollio (II, 40, 45), id uberius ab eo narratum etiam Appianus uberius expressit. Atque omnino, quarum Pollionem participem fuisse rerum supra memoravimus, quam eae eleganter, quam accurate scriptae leguntur in Appiano! Quam bene, ut exempla quaedam afferantur, de iis docemur, quae post proelia Dyrrhachina acciderunt. Ipsum Caesarem ait Appianus de Pompeianorum victoria non dubitasse, si quem habuissent, qui sciret vincere. (II, 62. Plut. Caes. 39,5; Pomp. 65,5.) Sequenti vero capite milites, cum pudore agitati de se ipsi paullo severius statuissent, a Caesare summa cum prudentia cohibitos ac sedatos esse tradit (II, 63). Qua de re quod fuerit Caesaris et amicorum colloquium, cum in fine eiusdem capitis comperiamus, quis non illum recordatur ad Rubiconem habitum sermonem, quem quin Pollio nobis tradiderit nullo modo possumus

dubitare. Neque, quandoquidem hanc in rem invasit disputatio nostra, omittendum videtur saepissime occurrere tales Caesaris sermonis, quos a Pollione memoriae proditos esse partim ipsi veteres testentur partim suspicari liceat. (Suet. Caes. 25. Plut. 46,1. 56,3. App. II, 104.)

Quanta vero Appianus perspicuitate atque elegantia nobis describit proelium Pharsalicum (II, 72—82)! Vide imprimis, quam clare ac distincte causae exponantur, cur Caesar proelium committere concupierit, Pompeius pugnam detrectaverit. (II, 66 seqq.) Porro cum ante ipsum proelium Caesarem vota nuncupasse memoret, (II, 68), iussa Caesaris referat (76), ac praesertim cum pingat, quomodo uterque exercitus nulla edita voce alter ad alterum propius accedat (78), qui fuerit sociorum stupor, dimicantium silentium (79), quis nisi pugnae particeps reique militaris peritissimus tam dilucide illa potuit exponere? Cogitationes vero illas ad misericordiam propensas bellumque civile perhorrescentes, quas ante proelium suscepisse Caesar et Pompeius traduntur (II, 70 cf. supra pag. 19), quis melius fingere potuisse putandus est, quam Pollio, quem bellum civile summo cum dolore vidisse ex ipsius ore cognoscimus (Cic. ad fam. X, 31).

Quodcunque igitur de Pollione testatum habemus, eo iudicium nostrum, quo illum unicum Appiani fuisse auctorem statuimus, optimis argumentis fulciri ac confirmari intelligimus.

Jam vero quoniam ex iis, quae hucusque disputavimus, primum id concludi necesse est, quam constantissime Appianum uno eodemque fonte usum esse, deinde in libri secundi capp. 8—117 eum Asinium Pollionem excripsisse, vel sponte hoc probabi-

litatem quandam assumit, etiam in iis quae sequuntur duce eodem Pollione eum res scripsisse: quodsi ex ipsis tribus libris sequentibus probari possit nec quod contradicat reperiatur, iam quod probabile antea videbatur, id certum iudicandum erit.

Ac primum quidem, ut supra Appiani auctorem cum Caesare contra Pompeium consistere ostendimus, ut inde Pollionem efficiamus illum fuisse auctorem, ita nunc permagni refert, certo scire utrum pro Antonio an pro Cicerone, pro senatu coniuratisque an pro Caesare Octaviano sentiat Appiani auctor?

Ac de Antonio quidem mirum quantum instructus Appianus res ab eo gestas, cogitationes rationes, omnia denique eius in re publica capessenda consilia tam eximia cum rerum scientia singularique iudicio nobis tradidit, ut ipse nos melius docere non posset Antonius. Ostendit igitur Appianus, quomodo Antonius, cum ab altera parte haberet senatum Pompeianosque, ab altera Caesaris veteranos plebemque, inter tot diversissimas ac quam maxime contrarias partes Caesaris locum obtinere summa cum prudentia ac callididate studuerit (cf. II, 127, 128, 131). Postquam necessitate coactus coniuratos incolumes servavit (II, 132), cum id imprimis studiosissime ageret, ut ne quam senatui suspicionem contra se moveret, falsum Marium occidit (III, 2). Simulatque vero hac via ad altiorem auctoritatis gradum pervenit, ita ut regis imperium exercerre diceretur (III, 7), a senatu paullatim recedens Antonius primum Dolabellae sibique ipsi Asiam Macedoniamque provincias comparavit (III, 7, 8), deinde exercitum Galliamque Cisalpinam provinciam singulari cum prudentia a senatu populoque sibi acquisivit (III, 24, 25, 27, 30). Quae omnia tanta cum elegantia no-

bis explicantur, ut ipsum tamquam agere videamus Antonium intimaeque eius cogitationes oculis subiciantur. Neque vero id nunc quaeritur, num ab omni parte verae sint, quae Antonii referuntur rationes ac cogitationes (non paucae enim earum eiusmodi sunt, ut post rerum eventum fictae esse videantur), verum id solum hac argumentatione demonstrare studeo, accuratissime ac diligentissime ab Appiani auctore ea fuisse exposita, quae Antonius, si non omnia egisset, at voluisset certe agere ac praemeditatum sese postea contendisset.

Nec vero modo rerum paullo post Caesaris mortem gestarum narratione, quae in doctissimi cuiusque maxima admiratione semper versabatur,[1]) talem se praebet historicus noster, sed etiam in rebus, quae posthac sequuntur, tractandis uberrime atque optime legentes de Antonio edocet. Cum Pompeiani id molirentur, ut Antonius a senatu patriae hostis declararetur, solus Appianus memoriae prodit, quomodo Antonii mater, uxor, filius ab illius capite periculum repellere conati sint (III, 51). Post bellum vero Mutinense quod fuerit Antonii cum tribunis suis consilium (III, 72) quomodo et quibus causis motus cum Lepido coniunctus (III, 83, 84) cum Caesare Octaviano in amicitiam redierit (III, 96), ex Appiano optime cognosces.

Antonium autem tantum abest, ut iisdem quibus Cicero Ciceronemque secuti Plutarchus et Dio, maledictis ac probris insectaretur, ut omnium veterum historicorum solus favore eum manifesto amplexus insignem eius memoriam traderet. Nec enim Caesare occiso ser-

1) Wie kein Anderer unter Denen, welche hier in Betracht kommen, hat Appian die Charactere durchschaut und die Ereignisse auf ihre Quelle zurückgeführt; wo Dio schwatzt, und Plutarch als ein guter Beobachter schildert, da bewährt er meistens den tiefen Denker. Drumann, Geschichte Roms, I, 81.

vili habitu ait salutem eum petiisse (Plut. Ant. 14,1 — Dio 44,22) cuius ne Cicero quidem rei umquam facit mentionem, nec pecunia publica suum in usum conversa creditoribus satisfecisse aut libidinibus inservisse (Cic. Phil. II, 37, 93 etc. Dio 45,24) nec Antonii domo immunitatis civitatis omnia denique veniisse (Cic. ibid.). Cum vero ex inimicitiarum, quae iam dudum inter Antonium et senatum intercedebant, gliscentibus igniculis bellum quod vocant Mutinense conflatum esset, omnem, si Appianum audimus, culpam senatus sustinere existimandus est: summo senatui crimini dandum arbitratur, quod tantum tamque nobilem virum causa indicta condemnaverit (III, 51: *οὐ γὰρ ἠγνόουν καταγιγνώσκοντες ἀνδρὸς ἐπιφανοῦς πρὸ δίκης*). Ciceronis oratio eaque levissima ad accusandum Antonium habita cum duobus capitibus absolveretur (III, 52 et 53), Piso septem capitibus Antonium felicissime defendit (III, 54 —60). Itane revera illae sint orationes habitae, ut hodie in Appiano leguntur, nihil nunc curo: id tantum illis Ciceronis et Pisonis orationibus comprobari existimo Antonianum fuisse Appiani auctorem.

Quantum vero Antonii militare ingenium fuisse praedicat militumque in illum quamvis severum amorem! Cum Caesar Octavianus apud veteres Antonii milites Antonium incusaret, auctore Appiano murmure milites orationem exceperunt (III, 42). Ubi vero seditionem inter milites concitatam accepit Antonius, quanto fastidio, quanta superbia in eos invehitur: „Discite iuberi“ (*μαθήσεσθε ἄρχεσθαι* III, 43) et „ipsi non ignoratis nec saevum nec sordidum Antonium“ (*αὐτοὺς δὲ εἰδέναι σαφῶς οὔτε ὠμὸν οὔτε μικρολόγον Ἀντώνιον.*“ III, 44). Fortitudinem autem eximiam animumque Antonii audacem cum iam in pugnae Mutinensis descriptione saepius praedicasset (III, 70, 72: „*Ἀντώνιος οὐκ*

ἄτολμος ἐν τοῖς κινδύνοις ἀνήρ") maxime insigne Antonii ingenium militare in proeliis apud Philippos commissis effulsisse legimus. Postquam auctore Appiano egregia cum arte hostes ad primum proelium lacessivit (IV, 109), ipse cum cornu suo fortissime dimicans clarissimam reportavit victoriam (IV, 111 seq.); nec minus in altero proelio omnia ab Antonio perpetrata sunt (ὁ δὲ Ἀντώνιος πάντα ἦν καὶ πᾶσιν ἐνέπιπτε IV, 129 et pariter Plut. Ant. 22). Quam ob rem etiam in quinto libro semper Antonium unicum victorem Philippensem celebrari summaque apud omnes gloria floruisse accipimus (V, 14, 53, 58, 59). Quomodo autem Antonio infesti rerum scriptores proelia Philippensia narraverint, ex Plutarcho possumus cognoscere (Anton. 22,3), qui nonnullos ait contendere ne interfuisse quidem Antonium in primo proelio; et ex Dione, qui alterum proelium narrans nullam facit Antonii mentionem (47, 48).

Atque omnino quis est qui non eum Antonium, quem Cicero omnibus artis malitiose disertae coloribus pictum atque politum ipse nobis tradidit historicisque antiquitatis nostrorumque ipsorum temporum prope omnibus persuasit, toto caelo distare ab eo Antonio, quem ex Appiano novimus, facillime animadvertat? Deditum libidinibus, saevum ac paene sanguinarium cum nobis Cicero scelus depingat, Appianus nec libidinosarum Antonii voluptatum nisi subobscure atque dubitanter inducit mentionem (V, 8: λεγόμενος ὑγρότατος ἐς ταῦτα [τὰ Ἀφροδίσια] ἀεὶ φῦναι), et omnibus illis caedis consiliis, quae Cicero Antonium ex itinere Brundisino Romam redeuntem suscepisse contendit (III. Phil. passim), praetermissis, mitis Antonium ac benigni animi fuisse memoriae tradidit (V, 4; 7; 66: Ἀντώνιος εὐφυὴς ὢν καὶ ταχὺς ἐς εὔνοιαν). Et cum nec C. Caesari nec Caesari Octaviano ne minimae quidem um-

quam laudes tribuantur, Antonium eximia saepius laude exornari animadvertimus: magnum eum et bonum fuisse Appianus praedicat (V, 136: *Ἀντώνιος ὢν ἀεὶ τὸ φρόνημα ἁπλοῦς καὶ μέγας καὶ ἄκακος.* V, 141: *Ἀντώνιος ἀγαθὸς ὢν τὴν φύσιν*). Quae cum omnia nullus praeter Appianum vetus rerum scriptor exhibeat, Antonii studiosissimum fuisse Appiani auctorem omnes facile concedent.[1])

Atqui quoniam et Antonianum fuisse Pollionem supra memoratum (pag. 4 seq.) recordamur et ab Appiano toto libro secundo expressum esse luculentis rationibus demonstratum habemus (pag. 30), cum iam inde etiam librorum III—V Pollionem fuisse auctorem quam maxime fiat probabile, verum nos suspicatos esse aliis quoque argumentis comprobari posse confido.

Nam Antonianum fuisse Appiani auctorem cum iis confirmatur, quae hucusque disputavimus, tum Perusini belli earumque rerum narratione, quae illo bello confecto gesta sunt (V, 19—66). Sic enim iudico: necesse esse in intimis Antoniarum partium consiliis versatus sit Appiani auctor, qui quidem dolos, dissensiones, motus denique earum vel maxime absconditos tam nobis accurate ac perspicue exponat, oculis ut ea quasi possimus aspicere. Ac primum quidem, qui fuerint Manii et Fulviae doli, diligentissime nobis explicat (V, 19, 29), deinde quomodo partes inter se dimicantes tribunorum militum industria in breve tempus sint reconciliatae (V, 20), quales fuerint literae ad Antonium missae (V, 21), quomodo inimicitiis denuo conflatis de pace egerint Antoniani et Caesariani (V, 29) etc.

---

1) Recentiorum historicorum solus Merivale (history of the Romans III, 146 annot. 1 p. 153) Appianum saepe favere Antonio animadvertit.

Quanta vero diligentia describit, quae fuerit Perusiae et obsidio et expugnatio! Quam bene imprimis ex Appiano cognoscuntur, quae in urbe oppugnata gesta sunt! Vide, quomodo prima obsessi L. Antonii eruptio eiusque causae narrentur (V, 34), famis illius famosissimae descriptionem (V, 35), quomodo de salute iam desperans alterius eruptionis consilium susceperit L. Antonius (V, 36); ipsa vero nobis altera eruptio tam accurate narratur (e. g. de omnibus instrumentis quibus instructi oppugnati eruperint docemur), peritissimus ut rei militaris auctor eluceat (V, 36, 37). Tum lege, quae fuerint inter Furnium, L. Antonium et ipsum Caesarem Octavianum de deditione Perusiae habita colloquia (V, 40 seqq.), quomodo urbe dedita duo exercitus modo alter alteri infestissimus amicissime inter se congressi sint (V, 46 et 47); denique L. Antonii qui fuerit cum Caesare Octaviano habitus sermo (V, 54). Praecipue autem animadvertendum est, Appiani auctorem omnem illius belli culpam a L. Antonio demoventem transferre in Fulviae et Manii dolos Quamvis igitur iustas Caesar Octavianus L. Antonio inimicitiarum ansas praeberet (V, 19), tamen hic aut omnino bellum non concitasset, aut satisfieri sibi esset passus (V, 19 et 22), nisi et ipsum L. Antonium et Fulviam subdolis sermonibus Manius ad bellum inflammasset (ibid.); quem quidem etiam M. Antonius maxime reprehendit (V, 52), et postea morte punivit (V, 66). Ut vero antea Appiani auctorem M. Antonium singulari favore amplecti ostendimus, ita eum etiam L. Antonium magni aestimare ac diligere quis non intelligit? Justissimis et honorificentissimis causis ad adversandum Caesari impulsus, cum tamen ad pacem reconciliandam paratissimus esset, auctore Appiano solis Manii fallaciis prohibetur, ne cum Caesare in gratiam rediret. Tanta

vero eum animi fortitudine ac probitate floruisse accipimus, ut eum non modo in militum verum etiam in Caesaris ipsius quamquam inimici admiratione fuisse non miremur. (V, 36, 37, 39, 40, 45.)

Quam ob rem cum Antonianum fuisse Appiani auctorem facile sibi quisque persuadeat, hac ipsa Perusini belli narratione, quam nescio an optimam Appiani esse particulam existimem, Antonianum illum Pollionem nostrum fuisse facillime nobis licet suspicari. Nam mirum et notabile cum in Appiano videri debeat, saepissime, quomodo duces Antoniani L. Antonium obsidione liberare studuerint nec tamen umquam quicquam profecerint, summa cum diligentia exponi, si Pollionem conicimus illius narrationis auctorem esse, omnia iam fiunt expedita: nimirum ipse Pollio inter eos duces conspicuus erat.

Ac primum quidem ubi pacis inter Antonianos et Caesarem compositae condiciones referuntur, omnium ducum Antonianorum solus Pollio memoratur, qui Caesaris copias ab itinere Hispaniensi vetatur arcere (V, 20). Deinde Salvidienum, Caesaris ducem, Pollio, Plancus, Ventidius quamquam persequuntur, tamen, quoniam quae sit M. Antonii voluntas ignorant et ipsi inter se aemulatione dissentiunt, haut ita industrie agunt, ut L. Antonium obsidione solverent (V, 32). A Manio autem et ab ipsa Fulvia ad succurrendum Antonio incitati postquam quamvis cunctanter castra moverunt, a Caesare et ab Agrippa repelluntur (V, 32, 33). De Antonio vero extremam iam famem sustentante certiores facti denuo belli fortunam experiri statuunt (V, 35). Sed cum Agrippam sibi obviam venire cognorint, Pollio quidem et Ventidius ulterius progrediendum esse censent; sed impediuntur a Planco, qui quo res vertat expectandum iudicat (V, 35). Ac postea

quidem comperimus Pollionem Domitium Ahenobarbum ad Antonianas partes perduxisse unaque cum eo omnia praeparasse ut Antonio, qui ex Graecia in Italiam traiecturus erat, tute ac commode exscensionem facere liceret (V, 56).

Bellum igitur Perusinum cum et ab Antoniano et a rerum gestarum scientissimo traditum habeamus, cur non Pollionem, qui et Antonianus fuerit inter paucos illustris et in rebus illo tempore gestis haut mediocriter versatus, fuisse Appiani auctorem iudicabimus? Praesertim cum ex sequentium rerum narratione idem necesse sit concludamus. Bellum enim quod Antonio in Italiam egresso inter hunc et Caesarem paullisper gestum est, cum eadem cum diligentia rerumque scientia qua bellum Perusinum narretur, etiam ex eodem fonte hausisse Appianus putandus est. Qua in re imprimis conspicuum est lib. V cap. 58: Inter ipsam coenam Antonius de Servilii Caesariani eiusque 1500 equitum adventu certior factus confestim cum paucis amicis et quadringentis equitibus impetum in necopinatos tam felicem edidit, ut omnes illos comprenderet. Quae omnia tam nobis dilucide ante oculos ponuntur, ut quin et Pollio inter illos amicos fuerit et ipse nobis rem tradiderit nullus dubitem. Nec minus Antonianorum et Caesarianorum militum sermones qui dissentientes duces reconciliare concupiscebant, auribus ipse perceptos videtur memoriae prodidisse (V, 59). Eiusdem capitis in fine Appiani auctorem Antonii amicum fuisse atque intima eius familiaritate illo tempore usum esse novo argumento comprobatur. Nam cum de Fulviae morte comperisset, Antonius narratur rem male tulisse, ipse sibi aliquam culpae partem tribuens. Quae vero de pace inter Antonium et Caesarem (Brundisina postea appellata) coagmentanda acta sint et quae in Appiano accuratissime narrata exstant, quis melius ea

nobis potuit explicare, quam Pollio noster, quem ab Antonianis ad agendum de pace cum Maecenate et Cocceio electum esse iam supra memoravimus? (V, 60—65; supra pag. 5).

Sed ut aliquando de Pollione Antoniano finem faciamus disputandi, cum quae de Antonii moribus, consiliis rebus gestis in Appiano leguntur optime inter se consentire singularique Antonii favore rerumque scientia narrata esse patefactum sit, si non libros III—V omnes at illa certe ex uno auctore eoque Asinio Pollione Antonii familiarissimo rerumque in Appiano narratarum plerumque participe depromta esse summo iure possumus contendere.

Verum etiamsi Appiani auctorem cum omnes Antonianos tum L. et M. Antonios manifesto studio atque amore prosequi animadvertimus, tamen eum unum Antonianorum ducum acerbissimo in odio habere non est omittendum. Namque ut Munatium Plancum iam supra legimus auctore Appiano prohibuisse, quo minus Pollio et Ventidius L. Antonio opem auxiliumque ferrent (V, 35), sic eum bello Perusino finito exercitum suum ignavia motum deseruisse accipimus (V, 50). Eandem vero, si nostrum audimus, paullo post Munatius Plancus praebuit ignaviam. Nam ubi Antonio una cum Planco in Italiam traicienti Domitius Ahenobarbus modo per Pollionem Antonio reconciliatus magna cum classe adventare nuntiatus est, Plancus quidem dolos atque insidias timens cursu navium inhibito providendum rebatur, Antonius autem, quo semper eum Appianus fuisse narrat, audaci ac fidenti animo obviam eundum statuit (V, 55). „Postquam vero — sic enim pergit Appianus — Ahenobarbi exercitus Antonium ducem salutavit, vix tum etiam animum erexit Plancus, Antonius autem etc.“ Quanta hoc maligni-

tate narrationi videtur insertum: „ὁ μὲν Πλάγκος ἀνεθάρρει μόλις, ὁ δὲ Ἀντ. κτλ."! Quam hoc erat prorsus supervacaneum! — Cum deinde per longum tempus nihil de Planco ex Appiano comperiamus, simulatque rursus memoratur Plancus, aliud quoddam facinus perpetrasse dicitur (V, 144). Nam cum omnes rerum scriptores S. Pompeium aut a M. Antonio aut a Titio interfectum memoriae prodant — iure an iniuria, non liquet — Appianus unus caedis culpam in Plancum confert (cf. Drumann IV, 210 et 589, annot. 53).

Quae cum ita sint, quoniam illud Planci odium, quod quantum sit fugiet neminem, nihil est, cur ipsi Appiano tribuamus, ex auctore eius originem trahere necesse est. Atqui cum Pollionem nostrum non ignoremus tanto in Plancum odio flagrasse, ut etiam in mortuum orationes edere sibi propositum haberet, hac quoque argumentatione Pollionem Appiani fuisse auctorem effici quis est qui non videat? [1])

Cum autem Appiani auctor tam aperte et manifesto sentiat pro Antonianis et M. Antonio, fieri aliter non potest, quam quin adversarium eorum infestissimum, Ciceronem, obtrectatione invidiaque persequatur.

Ac primum quidem ubi Ciceronem a Clodio in exilium actum esse narrat, importunum eum sese praebuisse ait et maxime ignavum ac ridiculum (II, 15). Caesare vero interfecto, quamquam ipse se Cicero iecisse pacis fundamenta gloriatur (I Phil. init), et apud Dionem (44,23–33) longam apud senatum orationem habet, ab Appiano tantum pro ἀμνηστία verba fecisse dicitur (II, 142).

1) Fortasse conici licet, illud Pollionis in Plancum odium ipsis belli Perusini dissensionibus conflatum esse. cf. V, 32, 35.

Omnino autem Cicero, qualem nobis pingit Appianus, et insolens et ignavus fuisse iudicandus est: cum Romae tutum se ab inimicis credat, auram popularem captat, arma in Antonium comparat, nummos ab Antonianis exigit etc. (III, 66); ubi vero Ventidius, Antonii amicus, duabus cum legionibus adventare nuntiatur, Cicero magno tumulta exorto ex urbe effugit (ibid.). Periculo autem Ventidii discessu dilapso, Cicero in urbem regressus tanta se imperandi cupidine gessit, ut etiam a senatu irrideretur (III, 82). Caesare autem Octaviano Romam versus castra movente, Cicero quamquam usque ad id tempus omnibus se immiscuit rebus et in omnium conspectu versatus est, nondum apparuisse dicitur (III, 89). Simul autem senatus paullulum a timore respiravit novamque in resistendi spem adductus est, etiam Cicero rursus ex obscuritate emersit — sed tantum ut in Caesaris Octaviani colloquium admissus ipse multis verbis praedicaret, quanto studio in senatu de consulatu ei conferendo egisset (III, 92). Nocte autem sequenti cum legiones quasdam a Caesare ad senatum desciisse celer tota urbe fama discurreret, confestim senatores ad obsistendum Caesari in curiam concurrunt, salutati a Cicerone ante portas stanti: ubi autem rumor ad nihilum recidit, Cicero in lectica evasit (III, 93).

Nonne hic Cicero et superbus et ignavus prorsus est idem, atque ille, de quo Pollio iudicat „Utinam C. moderatius secundas res et fortius adversas ferre potuisset"? (Senecae Suas. VI, 24.) Alio vero argumento quam firmissime stabiliri puto, hunc ipsum Appianeum Ciceronem a Pollione nostro pictum atque politum esse. Nam quis qui Ciceronem legerit, a senatu iussum ad Antonium literas componere, ut pro Gallia Macedoniam provinciam vellet accipere, nimium

ab Antonio postulantem illas literas vitiasse (III, 61), non statim recordabitur, Pollionem alias quoque easque absurdissimas recriminationes in Ciceronem effudisse? (supra pag. 6) Restat, ut, quomodo Ciceronem interfectum esse memoriae prodiderit Appianus, paucis respiciamus (IV, 19, 20). Etenim cum Senecae Suasoriarum capite sexto nonnullae tradantur Ciceronis caedis narrationes, quarum nulla ex omnibus partibus cum Appiano consentiat, imprimis videtur notandum esse, illarum narrationum unam esse Asinii Pollionis. Cuius historici quoniam non tam ipsius caedis narratio, quam quae de Cicerone cogitaverit memoratur, Appiani autem, quae exstant de Cicerone cogitationes, quam maxime presse ac breviter referuntur, Pollione et Appiano comparatis hunc ex illo hausisse effici nullo modo potest. Nec tamen aliqua certe te fugient similitudinis vestigia; (Pollio): „Ciceronis tot tantisque operibus mansuri in omne aevum praedicare de ingenio atque industria superva [cuum est]. — Felicissima ei consulatus sors petendi et gerendi magna munera deum consilio industriaque.“ App IV, 20: „*Κικέρων ἐπί τε λόγοις ἀοίδιμος ἐς ἔτι νῦν ἀνήρ, καὶ ὅτι ἦρχε τὴν ὕπατον ἀρχὴν ἐς τὰ μέγιστα τῇ πατρίδι γεγονὼς χρήσιμος.*“

Sicut autem imprimis Ciceronem in odio habet Appiani auctor, ita in senatum omnem inimico se praebet animo. Quam eum acerbis facetiis irridet! Fidem dedisse dicitur senatus Antonio, „ut dubitares, qui fuissent qui paullo ante Antonium in contione incusarent et incriminarentur (III, 46). Brevi autem temporis spatio interiecto eandem senatus benevolentiam Caesari Octaviano praestat, „ut etiam tum dubitares, qui fuissent qui antea Antonium prosequerentur (III, 47). Inimicitiis autem paullo post inter senatum et Caesarem Octavianum exortis, omnem senatum cul-

pam sustinuisse contendit (III, 48), quippe qui semper Pompeianos auxerit, Caesarianos represserit (III, 64). Etenim, ni fallor, solus omnium veterum Appianus etiam Caesare occiso Caesarianorum et Pompeianorum partes atque inimicitias durasse putans saepissime non senatum solum verum etiam coniuratos Pompeianos appellat (cf. II, 122. III, 4, 64, 75, 81, 82, 87. IV, 94, 96, 97, 132, 133. V, 99). Qua de causa id praecipue notatur et affirmatur, omnes praeter unum D. Brutum coniuratos a Pompei partibus stetisse (II, 146); et Pompeium facit Appianus a Bruto „δημοκρατικώτατος“ praedicari (II, 137). Nonne hac quoque re Pollionem Appiani fuisse auctorem indicatur, qui veteris reipublicae fautores atque amicos idcirco semper Pompeianos nominaret, ut se libertatis amicissimum uniusque imperio infestissimum non cum illis fecisse quodammodo purgaret (cf. Cic. ad fam. X, 31. App. III, 81)?

Tametsi autem Appiani auctorem non pro coniuratis sentire animadvertimus, tamen eos tantum abest, ut „latrones“ ac parricidas“ appellet (Tac. Annal. IV, 34), ut sine ira et studio narrans etiam de eis aequo ac iusto animo iudicet. Brutum igitur optimam et peridoneam contionem facit habentem, quam omnium audientium benevolentia atque admiratione exceptam esse memorat (II, 137—141; 142). Et quamquam Cassii tam saevos ac feroces mores pingit, ut eum omnia iura humana ac divina pervertere nihil miremur (IV, 62, 63, 64, 73), Bruti mite ac placabile ingenium praedicat (III, 79; IV, 80, 81). Praecipue autem in pugnis Philippensibus narrandis tanta cum diligentia et abundantia de coniuratis disserit (IV, 103 et 104), tanta eos fortitudine fuisse tradit, tam eximium de eis iudicium fert (V, 132 seq.), ut nisi quandoque singularis eluceret favor Antonii, a quibus partibus steterit

Appiani auctor, possis dubitare. Atqui cum e Tacito Pollionem sciamus egregiam coniuratorum memoriam tradidisse, etiam hac argumentatione Pollionem Appiani fuisse auctorem concludendum est.

Jam vero difficillimam ac gravissimam quaestionem oportet instituamus, unde quae de Caesare Octaviano memoriae prodit Appianus hauserit. Nam licet fortasse mihi detur, ut prope totum librum secundum ita etiam librorum III—V maiorem partem e Pollione manasse, tamen si quae de Caesare Octaviano tradiderit Appianus, ea quoque Pollioni nostro vindicans ex ipsis Caesaris commentariis negabo fluxisse, quoscumque de ea re scripserint, Weichertium, Eggerum, Wiynnium, Hoeckium (hist. Rom. I, 1, 250 Nota 6), mihi adversari non ignoro. Nimirum quoniam et optime sese de Caesare instructum praestat Appianus et illius se commentariis usum esse profitetur (IV, 110. V, 45. cf. Illyr. 14), nemo eum Caesaris commentarios revera ad opus suum conficiendum adhibuisse non putavit. Quam rem ut denuo recenseamus, singula paullo fusius examinanda sunt.

Ubi primum Caesaris Octaviani mentionem iuducit Appianus, tam abundanter atque accurate de rebus eius disserit, ut e commentariis eum hausisse facile suspicemur (III, 9). Vesperi igitur de Caesare occiso certior factus, cum aliud ab amicis, aliud a matre Philippoque vitrico moneretur, Octavius tandem Romam proficisci statuit (III, 10). Lupas autem postquam navem applicavit, magno opere in itinere celebratus Romam advenit (III, 11—13). Ubi quamquam a prudentissimis amicis cautiora suadebantur, Caesarem patrem ut ulcisceretur venisse sese affirmavit et a matre ut unus Caesare dignus salutatus est (III, 14). Omnino autem, si a Caesaris caede (II, 118) usque ad Octavii adventum (III, 9) primum apud Appianum

locum obtinet Antonius, ea quam nunc complectimur disputantes particula (III, 9—23), Caesaris Octaviani res tam perspicue ac copiose narrantur, ut haec e commentariis fluxisse Weichertio facile concedamus (Caesaris Augusti scriptorum reliquiae pag. 204). Nec tamen praetermittendum est, his quoque in capitibus nonnumquam occurrere Antonii favorem, quem per omnes hos tres libros gliscere vidimus. Ita colloquii cunctatione forte exorta Caesarem iniuste in Antonium irritatum esse significat Appianus (III, 14); Caesaris apud Antonium habitam orationem parum decentem ait fuisse (III, 18); felicissime denique sese contra Caesaris accusationes defendentem facit Antonium (III, 22). Atque hoc ipsum in omnes hos Appiani libros valere haut difficile est demonstratu: etiamsi saepius quaedam inter se connexa capita eam prae se ferant speciem, ut e Caesaris commentariis deprompta videantur, tamen in iis ipsis semper elucere nescio quid Antoniani.

III, 28—31. Narratis quas apud milites de Antonii iniuriis habuerit Caesar querimoniis, cum tribunorum militum ope reconciliati inter se fuerint Caesar et Antonius, ille quidem in fide remansisse (30), Antonius autem primus foedus violasse dicitur (31). Quibus de causis etiamsi quis Appiannm facile coniecerit ea ex commentariis sumpsisse, tamen cum pulcram Antonii defensionem animadverterit (29), ne hic quidem illum quo Pollionem auctorem significari vidimus, Antonii favorem abesse non negabit.

Caput vero 39, quo novis inter Caesarem et Antonium conflatis simultatibus Caesar traditur exclamasse insidiari capiti suo Antonium et apud ipsius Antonii domum amicorum arbitrium expostulasse, neminem commentariis arbitror tribuere.

III, 40—42. Caesar Octavianus exercitu e coloniis a C. Caesare olim deductis coacto Romam proficiscitur. Haec capita e commentariis fluxisse eo praecipue possumus suspicari, quod Caesaris oratio quaedam accusans Antonium refertur. Verum etiam hic Antonianum Appiani auctorem elucere intelliges: nam apud veteranos cum Caesar accusaret Antonium, iniquo id animo tulisse ac murmurasse dicuntur milites (42).[1])

III, 47, 48. Caesar cum exercitu Albam usque profectus contione apud milites habita eorum spectat certamina. Contione illa, qua secreta patefacit senatus consilia, et gaudio, quod e militum certaminibus cepisse traditur Caesar (48: ἡσθεὶς τῇ θέᾳ κτλ.) facile commentarios fontem fuisse conicere licet.

In sequentibus autem capitibus, (III, 50—63) quae omnia Antoniano auctori vindicanda esse supra est expositum, etiam de Caesare optime instructum se praestat ille auctor, quoniam solus recte ei licitum fuisse memorat consulari loco in senatu sententiam ferre (51. cf. Monum. Ancyr. ed. Mommsen pag. 5). — Caput 64, quo iure iratum fuisse Caesarem senatui narratur eiusque apud milites habita contio refertur, capitibus 47 et 48 simillimum et ipsum e commentariis fluxisse dicemus. — Mutinensis vero belli narrationem quamquam ex Antoniano fonte haustam esse pluribus comprobatur, tamen aliqua ex parte commentariis quoque tribuendam esse videbimus. Nam quae de sermonibus Caesaris et cum Bruto et cum Pansa collatis traduntur

---

1) Ne haec putes persubtiliter disputata: apud Dionem (45,12) accusationes quidem referuntur, omittuntur murmurationes militum.

(III, 73, 75, 76) ea sive sunt vera sive, sicut volt Drumannus (I, 310), ut desciisse sese a senatu purgaret, a Caesare ficta, certe e commentariis fluxisse iudicanda sunt.

Pariter vero cetera quoque omnia, quae usque ad finem tertii libri de Caesare memoriae produntur (III, 80—82, 85—95) ex iisdem commentariis deprompta sunt. Etenim nusquam non pro Caesare sentiens, historicus noster causis relatis, quibus motus Caesar optimo iure senatui irasceretur (80, 81), Caesarem castra movisse Romamque occupasse ita exponit, ut Caesarem pulcherrima gloria exornet, senatum imprimisque Ciceronem magno opere derideat (85—95). Quae vero capite 82 traduntur, Caesarem, ut consulatum assequeretur, arctiora necessitudinis vincula cum Cicerone contraxisse, Caesarianarum fabularum ea cum iam prae se ferant speciem (Drumann I, 330, 331), certius nobis indicium, quo Caesaris commentarios illis capitibus expressos esse comprobatur, capite 95 suppeditatur. Quo in capite si Q. Gallium legimus Caesaris caput insidiis appetiisse et a Caesare exilio multatum nave conscensa non amplius apparuisse, cum in Suetonio hoc ipsum quidem reperiamus a Caesare fictum et narratum esse, revera autem Gallium plane insontem a Caesare tortum et occisum esse (Suet. Aug. cap. 27), quis narrationem Appiani e commentariis desumptam esse infitiabitur?

Libro autem quarto Appiani narratio, cum saepissime faveat Antonio, mirum quantum, ubi cum Dione Plutarcho, Velleio comparaveris, Caesari iniqua nec usquam e commentariis hausta videatur. Ac primum quidem notandum videtur, Appiani narrationem proscriptionum Caesarianis commentis, quae in Dione, Plutarcho, Velleio exstant, prorsus vacare. Nec enim

apud illum Caesar traditur, „furente Antonio simulque Lepido frustra proscriptionibus repugnasse“ (Vell. II, 66,1), nec Ciceronem e morte eripere studuisse (Plut. Cic. 46,3), nec omnino clementia egregia in proscriptos usus esse (Dio 47,7 et 8). Ne vero cum Eggero (Examen critique p. 17) eiusque perpetuo sectatore Wiynnio (pag. 64) illud maxime memorabile triumvirorum edictum, quo proscriptiones explicare atque excusare conantur (App. IV, 8—11), e Caesaris commentariis expromptum opinere: nam licet edictum illud Caesar composuerit, nihil magis laborare ac contendere debebat, quam ut illud saevitatis suae documentum sempiterna oblivione obrueret; qua in re aliquid eum certe profecisse, manifestissimum est argumentum, quod nusquam nisi in Appiano ullum eius edicti exstat vestigium. Etiam in pugnis Philippensibus narrandis memorabile est, Appianum, quamquam videatur Caesaris commentarios inspexisse (IV, 110) tamen liberum esse ab erroribus, in quos Caesari faventes Valerius Maximus (I, 7) et Dio Cassius (47,41) incurrerunt. Non enim, sicut illi, Octavianum memorat in primo proelio quamvis aegrotum „supra vires corporis pro adipiscenda victoria excubasse.“

In quinto autem Appiani libro rursus frequentiora commentariorum vestigia deprehenduntur. Ac primum quidem Perusini belli narrationem, quamquam ex Antoniano auctore eoque Asinio Pollione sumptam esse satis certis argumentis demonstratum habemus (supra pag. 37), tamen nonnulla continere arbitror, e quibus Caesaris commentarii redolere videantur. Igitur si Caesarem ad pacem componendam paratissimum fuisse audimus (V, 28) atque cur et quomodo Scriboniam in matrimonium duxerit (V, 53 cf. Suet. Aug. 62), facile ipsum Caesarem auctorem fuisse suspicabimur. Illam autem nar-

rationem, qua Caesar mitissimum se erga Perusinos praestitisse traditur (App. V, $38_{,49}$) commentis Caesarianis iisque e commentariis haustis vitiatam esse quamvis sit verisimile, tamen pro certo affirmare non ausim. Nam cum Appianus Caesarem summa cum clementia atque indulgentia faciat agentem, Dio Cassius et Suetonius nefarias eius ac quam maxime abhorrendas crudelitates memoriae tradunt (Dio $48_{,14}$; Suet. 15). Verum etiamsi nec clementissimum fuisse Caesarem facile quis opinetur nec illis Appiani narrationibus nostro iure fidem habere velimus, tamen nescio an recte Drumannus Dionis et Suetonii narrationis in dubium revocare studuerit (I, 412). Si vero Eggerus (pag. 260) duas belli Perusini particulas e commentariis haustas esse volt, militum reconciliationem (46 et 47), Caesaris cum L. Antonio habitum sermonem (54), illam quidem narrationem, sic ut multas alias, ex tribunis militum exceptam Pollionem scripsisse crediderim, hanc vero — quomodo Caesar, quam a superbo L. Antonio passus sit, repulsam commentariis suis ipse memoriae prodidisse potest putari? praesertim cum in fine eiusdem capitis Caesar tradatur L. Antonium speculatum esse, id quod neminem puto commentariis vindicaturum esse.

Denique ille examinandus est locus, quo Appianus narrato, quod inter Caesarem et L. Antonium de urbe dedenda fuerit, colloquio sic pergit: „*ταῦτα μὲν ἔλεξαν ἀλλήλοις, ὡς ἐκ τῶν ὑπομνημάτων ἦν ἐς τὸ δυνατὸν τῆςδε τῆς φωνῆς μεταβαλεῖν τεκμαιρομένῳ τῆς γνώμης τῶν λελεγμένων* (V, 45). Unde quidam [1]) viri doctissimi concludendum esse existimaverunt, illum ser-

1) Primus, nisi fallor, Schweighauser. in edit. App. III, 868; eum secuti sunt Weichert, Wiynne etc.

monem e Caesaris commentariis depromptum esse. Verum ut nullam triumvirorum accusationum (App. V, 43), quas in Caesaris commentariis relatas esse nemo putaverit, habeamus rationem, ὑπομνήματα illa Caesaris fuisse commentarios nullo verbo significat Appianus. Quamobrem si praeterea quibus causis motus L. Antonius Caesaris colloquium concupierit legeris (cap. 41), illos sermones ex Antoniano auctore haustos esse posse non negabis.

Jam vero si id, quod restat quinti libri, perlustrare pergimus, saepius commentarios Caesaris partem facere narrationis videbimus.

V, 81—90. Bellum quod Caesar cum S. Pompeio gessit, narratur. Quam particulam ut commentariis magna ex parte vindicandam esse existimem, non eo adducor, quod Caesaris singularem quendam favorem hic deprehendisse mihi visus sum, sed quia Appianus res ab eo gestas tractat eximia cum abundantia atque diligentia. Narrat igitur, cur consilio cum amicis habito Caesar impetum in Pompeium distulerit (84: „λέγων οὐκ εὔβουλον εἶναι τὸ ῥιψοκίνδυνον), quomodo noctu ante naufragium illud celeberrimum insignique cum arte ab Appiano descriptum Caesar omnia perlustrando milites, ut bono sint animo, monuerit et a legione decima tertia inventus et curatus sit (87) etc.: haec omnia unde potius quam e commentariis hausta esse arbitrabimur? Omnino autem, quae de bello Pompeiano tradidit Appianus (96—121) ea magna ex parte e commentariis expressa esse facile possumus suspicari. Quod cum multis aliis tum ea narratione videtur comprobari, qua Caesar clade ad Tauromenium accepta uno cum armigero deiectus Abalam, a quibusdam montanorum inventus et ad Messalam deductus esse dicitur (V, 112).

Ea vero quinti libri capita, quibus Lepidi copiae

ad Caesarem desciisse narrantur, ejusmodi sunt, ut commentariis adscribenda videantur (122—126). Nam — id, quod nusquam alias in Appiano reperies, — et fortitudo Caesaris praedicatur et quanta in admiratione militum fuerit memoratur (124).

Quae cum ita sint, etiamsi magnam huius quinti libri partem e commentariis haustam esse et nonnumquam favorem quendam quamvis mediocrem Caesaris apparere nemo negabit, tamen, si quae hoc in libro narrantur Caesaris et Antonii simultates et inimicitias diligentius perlustraveris, statim Appiani auctorem intelliges aequo quidem et iusto animo de Caesare iudicare, favore autem conspicuo unum amplecti Antonium. Qua in re imprimis duae huius libri particulae in quaestionem vocandae sunt: capp. 92—95; 127. Auctore igitur Appiano Antonius a Maecenate rogatus, quamquam a Caesare pari occasione paullo antea delusus erat (V, 79), Caesari in Pompeium auxilium ferre festinavit (92). Ita autem cum Antonius fidem promissam optime ac paratissime servaret, tamen Caesari venit iniustam in suspicionem (93). Octaviae autem ope reconciliatis duobus triumviris rursus Antonius, ut antea Domitii (V, 55), sic tum Caesaris amici fidei totum se commisit[1], et cum Caesar ei viginti milia militum mittere tantum pollicitus esset, ipse statim Caesari centum viginti naves permisit (95). Altero quoque loco Caesar Antonio iniuria diffisus esse traditur (V, 127). — Quibus ex rebus concludi necesse est, multo magis Antonio quam Caesari studere Appiani auctorem.

Unde autem illa a Caesare gesta, quae si non om-

---

1) App. V, 94: Ἀντώνιος ἔς τι σκάφος ἐςήλατο μόνος καὶ ἐπέρα πρὸς τὸν Καίσαρα πιστεύων ὡς φίλῳ.

nia at magna certe ex parte e commentariis deprompta videantur, hausisse Appianus existimandus est? Utrum ipse an per auctorem suum Pollionem Caesaris commentariis usus est?

Ac primum quidem quoniam prima huius disputatiunculae parte satis firmis argumentis stabilitum habemus, unum ubique solitum esse sequi Appianum auctorem, etiam hic non Pollionem cum Caesare confudisse verum unum suum Pollionem expressisse statuendus est. Quem ne Julii quidem Caesaris commentarios umquam inspexisse convicimus, eum Caesaris Octaviani commentarios ad opus suum conscribendum constanter adhibuisse putabimus? Deinde si revera Appianum Pollionis historias cum Caesaris commentariis confudisse credemus, tam bene eum necesse est existimemus duos suos auctores coagmentasse, ut quasi in unum coalescerent corpus: nulla enim usquam rima, nulli inter se pugnantes loci. Tantane cum diligentia Appianum egisse arbitrabimur, cuius quanta fuerit levitas nemo est, qui ignoret?

Sunt igitur nullius momenti in Appiani bellis civilibus Caesaris commentarii? Immo sunt magni; sic enim statuo: P o l l i o n e m p e r e u m q u e A p p i a n u m s a e p i s s i m e C a e s a r i s c o m m e n t a r i i s u s u m e s s e.

Cui rei cum nihil aliud repugnare videatur, quam temporum rationes, de tempore, quo Caesar commentarios scribere potuerit, paucis oportet disputemus. Quamquam Caesarem constat res suas Cantabrico tenus bello commentariis narrasse (Suet. Aug. 85), tamen nullo modo comprobatur, eum hoc demum post bellum i. e. post annum 729 commentarios componere coepisse. Immo ut eius orationem quandam, qua omnia sua in republica capessenda consilia patefecit, finito bello Pompeiano in senatu habitam ac statim conscriptam editam-

que esse ex Appiano cognoscimus (V, 130), sic eum possumus conicere res haut ita multo postea quam gesserit, etiam conscripsisse commentariorumque librum post librum edidisse. Etenim cum scriptis sibi suis sine dubio volgi opinionem conciliare studeret, multo magis consentaneum fuit, eum ancipiti adhuc bellorum civilium exitu fallaciis ac commentis suam causam quam plurimis optimam probare, quam omnibus inimicis debellatis commentarios „parum integra veritate" princeps componere. Neque vero nostris modo temporibus viri clarissimi res, quas aut ipsi gesserunt aut ex aliis fando audiverunt, eas statim literis memoriae prodere consuerunt, verum etiam veterum imprimisque Caesaris et Augusti temporibus illum morem viguisse multis exemplis testatum habemus. Quamobrem quoniam et Caesaris e commentariis magnam bellorum civilium Appiani haustam esse partem concludi necesse est nec ipsum eos Appianum inspexisse multis modis est probabile, cum ne temporum quidem difficultatibus prohibeamur, Pollionem, Appiani auctorem, Caesaris commentariis usum esse iudicabimus.

„At ipse Appianus Caesarem testem profert" Primum enim proelium Philippense narrans Caesarem ait medici somnio monitum castra deseruisse „*ὡς αὐτὸς ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν ἔγραψεν*" (IV, 110). Hoc loco non modo non refutatur, verum etiam optime confirmatur sententia nostra. Nam cum eandem ad rem probandam, iisdem verbis etiam Plutarchus (Ant. 22,2; Brut. 41,4) Caesaris commentarios laudet, nec Plutarchum nec Appianum verum communem eorum auctorem, Pollionem, locum illum e Caesaris commentariis sumpsisse statuemus (cf. simillimum locum, de quo disputavimus supra pag. 26). Nam manifesto illic etiam Plutarchus usus est Pollione: *Ἀντώνιος ἦν ὁ νικῶν*

πάντα καὶ κατορθῶν (22, §. 1); Ἀντώνιος τῆς νίκης ἠνέγκατο τῇ δόξῃ τὸ πλεῖστον (§. 4 cf. supra pag. 34).

Eodem modo de alio quodam loco iudicandum videtnr. Nam si, id quod Peterus luculentissime ostendit (de fontibus Plutarchi pag. 137), Appianum et Plutarchum proelia Philippensia narrantes saepius singulariter inter se consentire animadvertimus, non ipsum Appianum verum Pollionem Messala et Volumnio, quos si non Plutarchus at Plutarchi auctor inspexit (Brut. 40, 42, 45, 48, 51) usum esse coniciemus.

Restat, ut de tempore, quo Appiani auctor scripsisse videatur, paucis disputemus. Atque si probabile est, Pollionem historias suas ante pugnam Actiacam conscripsisse, idem ex Appiano concludi necesse est. Nam cum Appianus insigni Antonium amplectatur favore, Caesaremque multa in eum iniuste fecisse asseveret, quis Appiani auctorem sub Augusti principatu hanc in sententiam tanta cum libertate scribere potuisse opinabitur?

Jam vero cum, quae adhuc disputata sunt, mente ac cogitatione complectamur, nullo modo dubitare possumus, quin Asinii Pollionis historias ab Appiano excerptas atque expressas teneamus: etenim sicut Appianum Asinii Pollionis historias inde ab initio secutum esse supra ostendimus (pag. 28), sic maxime videtur notabile, Appianum, cum Pollio ultra bellum in S. Pompeium gestum nihil scripsisset, illo ipso bello narrato finem imposuisse „τοῖς ἐμφυλίοις“ seponentem sibi bellum Actiacum ad „Αἰγυπτιακά“ (I, 6; V, 1).